







EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. d. DANCKELMANN;  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.











*Rerum Physicarum,*  
**IVXTA LEGES**  
LOGICAS METHO-  
DICA EXPLICA-  
TIO.

**Gulielmi Adolphi**  
SCRIBONII MARPVR-  
GENSIS.



FRANCOFVRTI  
Apud Andream Wechelum.  
M. D. LXXVII.

b 2.



REVISED PROOF  
IUSTA LEGES

LOGICAS METHO-

DICA EXPLICA-

LECTORI CANDIDO.

**S**I juvat ignotos causarum exquirere fontes  
Et procul abstrusas naturæ accedere partes,  
Hoc duce Mercurio quâ semitâ proxima ducit  
Ingredere, & voti compos sic fare benignè:  
Maxima debetur tibi gratia Docta vetustas  
Et sua temporibus meritò sunt præmia nostris.  
Vivat Aristoteles, viuant monumēta Platonis,  
Vivat in his studio Scribonius impiger acri.

Ioan. Adam.  
Lonicerus. Francf.

FRANCOFURTI

Apud Andream Wechelium

M. D. LXXVII.



3

ILLVSTRISSIMO ET  
GENEROSISSIMO HEROI,  
PRINCIPI AC DOMINO, DOMI-  
no Guilielmo Landtgrauio Hassiæ, co-  
miti in Catzenelnbogen, Dietz,  
Ziegenhain & Nidda, Princi-  
pi & Meccœnati suo cle-  
mentissimo.



V M DEVS *uniuersi corpus*  
*formare & compingere in-*  
*ciperet, ex igne & terra*  
*ipsum fecit, ut diuinus phi-*  
*losophus Plato in Timæo*  
*testatur, ignem pro ipso cœ-*  
*lo intelligens: sicut & Moy-*  
*ses ante locutus fuerat:*  
DEVS *in initio creauit cœlum & terram. Vbi ex*  
*duobus extremis totius uniuersi innuit ortum, cœ-*  
*lo quidem primis ortus redditis partibus, terra ve-*  
*rò secundis, ut Basil. Magnus in congress. 1. expli-*  
*cat. Creauit nempe DEVS Deorum Iehoua æternus*  
*cœlestia superiora & inferiora, quæ vel proximè*  
*supra terram vel infra eam degunt uniuersa. Non*  
*enim ab Angelis mundus factus est, ut Magus ille*  
*Menander, & discipuli eius Menandriani docue-*  
*runt. Non à virtutibus nescio quibus Carpocra-*  
*tianorum. Non à principibus Archonticorum. Non*  
*à solis septem Angelis præter conscientiam DEI pa-*  
*tris Saturninianorum. Multò minus à trecentesi-*

A 2 mo





mo sexagesimo quinto cœlo Basilidis, mundus & in  
 mundo homines cœperunt. A Deo, inquam, patre  
 CHRISTI IESU, Anno antè 5538. non ante infi-  
 nita nescio quæ fabulosa secula Valentini hereti-  
 ci, vniuersitas hæc originem suam traxit: facta  
 si Hebræorum quorundam & Latinorum senten-  
 tiæ credimus tempore Vernali, & quidem mense  
 Martio, eò quòd omnia in tēpore æquali fieri oportet.  
 Quamuis Ægyptios nonnullos secutus Ma-  
 crobius in Iulio mundi creationem factam esse di-  
 cere audeat, Luna Cancrum, Sole verò Leonem  
 perambulante, quòd maximus humor aquarum,  
 quibus terra erat cooperta, desiccari absque maxi-  
 mo calore & temperari non posset. Alij eadem fe-  
 rè de causa in Augusto mūdum conditum esse con-  
 tendunt, quòd scriptum legant lignum faciens fru-  
 ctum, & herbam semen adferentem, &c. In initio  
 igitur Dominus terrā fundauit, & opera manū  
 eius sunt cœli, vt regius Psalmista 101. Psal. in-  
 quit, & quidem verbo suo solo ac spiritu oris sui  
 omnia formauit & fecit, vt Psal. 33. ait, Id est,  
 DEVS in trinitate vnus, & in vnitæte trinus summè  
 atque immutabiliter bonus, cunctorum autor est.  
 Nec enim aliam causam siue cœlestium siue terre-  
 strium, siue visibilium siue inuisibilium credere  
 oportet, nisi bonitatem Creatoris, vt August. in En-  
 chiridio ad Laurent. tradit, & sicut Origenes lib.  
 2. de princip. cap. 9. de mundo ait, DEVS cum in  
 principio crearet ea quæ voluit, nullam habuit  
 creandi causam præter seipsum & bonitatē suam  
 Et longè ante illos Ethnicus philosophus Plato in  
 Timeo



## EPISTOLA.

5

Timæo idem differuit: cū scilicet bonitas DEI nulla foret, nisi fuissent qui illam agnoscerent, experirentur & predicarent. Creationis autem huius diuine generalem descriptionem sacra litera in historia Mosaica nobis proposuerunt, quomodo nimirum DEVS res omnes tam corporeas, quam incorporeas condiderit, cœles & omnes cœlorum virtutes adspectabiles vel spirituales seu inuisibiles, terram & in hac ipsa plantas, pisces, animantia, hominem & eius animam rationalem, quæ singula ordine illic recensentur. Et quidem absoluta perfectaq; fuit, ut Moyses refert, omnis creatura sex dierum interuallo. Ubi sunt qui doceant dierum illorum distinctam alternationem, non per temporis spacium intelligendam esse. Neutiquam enim separatim ac seorsim singulas res singulis distinctis diebus conditas esse: verum dies Moysen distinctos posuisse ut eorudiori Minerua nobis operum diuinorum vicissitudinem declararet. Quippe continuo sine tempore atque simul DEVS cūcta, quæ condita sunt, fecisse videtur: sicuti Ecclesiastici cap. 18. dicitur: Qui manet in æternum, compleuit omnia simul: & sicuti cū Basilio Magno D. August. de mirabil. sacre script. sentit, dū scilicet una voluntate multiplicem omnium specierum varietatem fieri disposuit, in qua voluntate una omnia simul sine tempore, esse fecit. Vnde in principio dictum est. Cuius interpretes alij dilucidius sententiam explicantes, In summam DEVS fecit, dixerunt. i. continuo atque simul. Cui sententia adstipulatur quoque vetustissimus ille philosophus Linus, qui operi suo

A 3 de



de mundi generatione hoc initium fecit, Tempus erat quo cuncta simul sunt condita quondam. Hunc secutus Anaxagoras ipse quoque absque tempore simul facta omnia asseruit.

In enumeratione proinde creaturarum mundi, cum nullam Moyses mentionem faciat spirituum, qui & ipsi creaturae DEI sunt, quaerunt nonnulli, quando spiritus & Angeli creati sint. Alij una cum luce & sub luce eos conditos esse statuunt. Alij ante omnes res alias: sicuti Ioannes Damascenus cum Gregorio Nazianzeno sentit, sicuti Hieronymus, sicuti Isidorus lib. 13. Etymolog. statuit, sicuti denique Origenes tractat 9. in Mattheum, ostendere ex cap. 38. Iobi conatur, Scriptum est, inquiens, in Iobo: Quando facta sunt stella, laudauerunt DEVM omnes angeli eius, quasi antiquiores, non solum homine post creato, sed & omni creatura ante & propter eum creata. Nos ab aeterno DEO hos ipsos, sicut & ceteras rationales creaturas una cum caelo statim conditos esse credimus. Et naturae illae uniuersae ac singulae à DEO bono, ipse quoque BONAE factae sunt: Neque enim erat, ut Plato in Timeo ait, neque est fas, ut optimus aliud, quam quod optimum est, faciat. Non tamen ut conditor earum, summe & immutabiliter sunt bonae creatae. Vnde minui & augeri Bonitas omnium potuit. Et nulla est substantia quae non recipiat bonum vel maius vel minus: excepta DEI natura, quae bonorum omnium fons est, & CHRISTI sapientia, ut Origenes lib. 1. de princip. cap. 8. inquit. Bonitatem diminutam eiusmodi nos malum dicimus. Adeoq;  
quic-



quicquid malum nos opinamur, non est nisi diminutum bonum. Et illud benè ordinatum, locoq<sup>3</sup> suo positum bona plenius commendat, ut magis placeant & laudabiliora sint, dum malis comparantur. Nec DEVS Zebachth vlla ratione pateretur mali quippiam in suis esse operibus nisi vsque adeò esset omnipotens ac bonus, ut etiam de malo beneficeret. Et nullum vel Angelorum vel hominum creasset, quem malum futurum esse præsciuisset, nisi pariter (ut Augustinus sentit) nosset, quibus eos vsibus bonorum commendaret, & in ordinem seculorum q. pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis cohonestaret. Nam vel demones ipsi, teste CHRISTO Ioannis 8. in prima origine fuerunt in veritate, & Angeli lucis creati sunt. Unde & Diabolus adhuc dum hodie bonus esset, si in eo quod factus est, permansisset. Sed quoniam naturali rationis excellentia malè usus est: liberum enim arbitrium & cogitandi acceperat facultatem, utpote rationalis creatura: scientiam boni vertit ad malum, & multa cogitando factus est inventor mali. Et quod in se perdiderat, in hoc invidit etiam alijs: nec contentus solus perire suasit alijs, ut qui esset suæ malitiæ inventor, fieret & aliorum autor: & ex eo malum percurrit in ceteras rationales creaturas. Post depravationem autem & immutationem nature illius superbientis: reliqui Angeli & spiritus ita confirmati sunt, qui perstiterunt in amore divino, ut cadere deinceps omninò non possent, quia ne jam caderent virtutem incommutabilitatis acceperunt. Quo-



modo autem & quando pristinam dignioremque suam naturam amittens lapsus sit Angelus, qui primus omnium cecidit, & quo tempore e cœlo dejectus sit, sacra litera reticent. Haud siquidem necessum esse videbatur, vulnus & morbum indicare, cuius nullum foret remedium. E cœlo tamen dejectum eum esse, Lucae 10. affirmatur, ubi, inquit CHRISTVS, Vidi Sathanam sicuti fulgur de cœlo cadentem. Nec mouebimus hic questionem illam Augustini, Quare DEVS angelicas & caelestes naturas delinquentes priori dignitati splendoriq; non restituerit, nec ijs pepercerit, sicuti homini peccati per assumptionem humanae carnis veniam dedit: sed irremediabili vindicta eas punierit. Naturas igitur omnes omnino bonas in principio creatas fuisse, rectissime Moyses docuit. In illa proinde generali rerum physicarum creationis apud Moysen historia, tres potissimum causa nobis obseruanda proponuntur, Quis eas fecerit, per quid aut ex quo fecerit, & quare fecerit. Causa scilicet omnium rerum efficiens, Materia & finis. Quas singulas hisce verbis quoque idem autor breuiter indicat, ubi ait: Dixit DEVS, Fiat lux, & facta est lux, & vidit DEVS lucem, quod bona esset. Nec enim autor excellentior est DEO, nec ars efficacior DEI verbo, nec causa melior est, quam ut a bono conditore, bona creatura orirentur: ea maxime quae ratione utuntur. quales sunt dii, id est, Angeli & homines, quibus profecto nihil est melius: ratio enim est quae prestat omnibus. Vnde & illorum gratia factum esse mundum Cicero de nat. Deor. rite disputat, quaeq;



EPISTOLA.

9  
 quæq; in eo mūdo sint omnia: non arborum & her-  
 barum causa, id enim absurdum esset: nec bestia-  
 rum, nihilo enim probabilius DEOS mutarum &  
 nihil intelligentium causa tantarum rerum moli-  
 tionem fecisse. Mundum igitur & totam rerum  
 uniuersitatem à DEO eterno ex nulla præexistente  
 materia primùm factam esse, ex libris Mosaicis  
 cognitum perspectumq; satis habemus. Verùm quæ  
 Mundi eiusq; partium singularum materia &  
 forma, qua nunc constent, existat, ex alijs veteris  
 Testamenti locis abundè liquet. Et primùm de  
 substantia siue materia cœlorum satisfaciunt no-  
 bis ea quæ ab Esaia propheta dicuntur, qui simpli-  
 cibus verbis naturam cœli aperuit, cum diceret:  
 Qui cœlum perinde atque fumum constituit. Est  
 nempe materia cœli AQUA in tenuissimum fusa  
 atque extensa halitum, lucèque clarissima imbu-  
 tum, quem membranarum instar infirmiore  
 consistentiam mirabili sapientia & potentia DEVS  
 expandit & formauit. Sicuti Esaia 45. Dominus  
 inquit, Manus meæ tetenderunt cœlos. De figu-  
 ra quoque seu forma cœlorum sufficere possunt ea,  
 quæ idem ille DEI gloriam enarrando protulit:  
 Qui constituit, inquit, ut fornicem cœlum, id  
 est, rotundum ac circularem. Præterea cœlorum  
 partes, sydera & stellas æquè atque totum cœlum  
 rotundas & in orbem mobiles esse, Psalmus 19. in-  
 dicat, ubi Regius ille physicus ait: Ab extremo cœ-  
 lorum egressus Solis est, & reuolutio eius (subintel-  
 lige & reliquorum syderum) ad extremum eo-  
 rum, &c. Terram verò imum obtinere locum, &

A 5 immo-



*immotam in mūdi medio consistere, Psalmus 104.  
 docet: Fundauit terram super stabilitatem suam,  
 nec mouebitur ipsa in eternum. Item Solomon ca-  
 pit. 1. ait: Terra in eternum stat. Aquas autem  
 prius super terram fluentes, in unum locum con-  
 gregatas esse: adeo ut intra terram sese effundentes,  
 unum cum ipsa globum constituant, similiter co-  
 piosè dilucideq; alibi declaratur. Vniuersum insu-  
 per hoc mundi Theatrum, ut in principio ortum  
 fuit, sic denique corruptioni obnoxium aliquan-  
 do ferè, Esaia 5 1. cap. dicitur: Quia cœli sicuti  
 fumus liquefcent, & terra sicuti vestimentum at-  
 teretur. Item Apocalyps. 2 1. & plenius 2. Petri 3.  
 Et hæc generaliter de rerum naturalium contem-  
 platione ex sacris Biblijs. Rerum autem quæ à  
 DEO per verbum ac spiritum oris sui bonæ create  
 sunt, id est, uniuersarum creaturarū physicarum  
 quas Moyses recenset, pleniorē ac specialem ma-  
 gis descriptionem Philosophi Physici à prima inde  
 mundi origine proponere aggressi fuerunt: singuli  
 singularum, quibus maxime oblectarentur, natu-  
 ram plenius ueriusq; declarantes, explicantesq;  
 quæ earum esset materia propinqua & sensibilis,  
 ex qua Natura genitrix indies singulas cuiuslibet  
 generis species producit, qui finis, quæ utilitas, quæ  
 partes, quæ formatio, &c. Vnde alij Astronomiam,  
 id est, doctrinam de cœlo & cœlestibus: alij Metal-  
 la: alij animantia magis pro uiribus quisque suis  
 excoluerunt, & quod quisque potuit in hac arte  
 amplificanda propagandaque inuenire studuerūt.  
 Sic Æolus exempli gratia Physicorum excellen-  
 tissimus*



tissimus in Insulis Æolijs habitans ventos ventorumq; rationem tradidit: unde & Rex ventorum à poëtis dictus fuit: & antri Æolici descriptio apud Homerum naturæ mysterijs alijs refertissima est. Lapidem Magnetem qui ferrū attrahit, Magnes quidam cum armenta pasceret, in Ida reperit, clavis crepidarum & baculi cuspide hærentibus à lapide illo attractis. de quo Plinius lib. 36. cap. 16. Sic Pana quendam philosophum soni hujus quem Echo nuncupamus inventorem fuisse, Suidas ex problematibus Alexandri Aphrodisæi refert. Sic Ægyptiorum quidam sacerdotes Vulcanum inventorem Ignis affirmant. Cum enim arbor ictu fulminis in montibus conflagrasset, ligna propinqua etiam hyberno tempore flamma sunt comprehensa, qua ex re Vulcanum calore latatum deficiente igne addidisse illi novam materiam, & eo modo continuato igne alios homines conuocasse ad adspectum ejus tanquam à se reperti: sicuti Diodorus tradit lib. 1. cap. 2. Vitruvius libro 2. autor est, pastores arborum collisione ignem excitatum primo observasse. Poëta autem plerique Prometheum ignem eiusque naturam inuenisse tradunt. Sic alij res alias earumque naturam & vim tradiderunt & proposuerunt. Physicorum proinde illorum omnium quatuor potissimum classes ab autoribus enumerantur, in quas universi qui vixerunt physice doctrinæ Magistri referri possunt. Prima classis est Assyriorum sive Chaldeorum II. Ægyptiorum III. Grecorum IIII. Itatorum: quibus adijcimus scholam Romanorum seu Latinorum.



norum. Assyrij itaque qui antiquissimi ac vetus-  
 tissimi Physici fuerunt, mox à condito mundo flo-  
 ruerunt. Et in horum schola sancti illi Doctores  
 extiterunt, primò Adamus, qui physicae suae sapien-  
 tiae indicia manifesta dedit, quando animantibus  
 omnibus nomina apta & illorum naturae conve-  
 nientia DEO iudice indidit. Nam cum nomen rei  
 naturam proximè exprimere debeat, non cuiusvis  
 est, ut Plato in Cratylo docet, sed eius & untaxat qui  
 rerum essentiam optimè perspectam habet, nomina  
 imponere. In eadem schola fuerunt Noach, Abra-  
 ham, & alij viri diuini, ut Moyses, sicut ex libris  
 eius liquet, ut David, quem physicae cognitionis pe-  
 ritum fuisse plurimi eius Psalmi testantur: ut præ-  
 ceteris Solomon Rex Iudaeorum, cuius physiolo-  
 giam miris modis predicant sacrae literae 3. Reg. 4.  
 quae sciuisse ipsum docent dispositionem orbis ter-  
 rarum, virtutes elementorum, stellarum disposi-  
 tiones, omniaq; quae alijs sunt abscondita. Et satis  
 constat ex lib. 8. Antiquitat. Iosephi cum rege Ty-  
 riorum illum propositis ultrò citròque ex media  
 rerum natura depromptis quæstionibus certare  
 solitum, & Victorem præter sapietiae laudem, mu-  
 nera quoque amplissima à Victo accepisse. Quam-  
 vis nulla physicorum illorum monumenta ad nos  
 extent, nisi quod duos libros de Plantis Solomonis  
 in Bibliotheca Turcica Hebraicè conscriptos ad-  
 huc nostris temporibus custodiri affirmare non-  
 nulli haud vereantur. Cicero autem lib. 1. de divi-  
 nat. Assyrios caelum & firmamentum tantum-  
 modò ex rebus naturalibus tractasse, id est, Astro-  
 nomi-



nomiam potissimum doctrinam excoluisse testis est: propter planitiem magnitudinemque regionum quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motusque stellarum observaverunt. Sipientia verò et nobilis scientia Assyriorum, et quos sub illis comprehendimus Hebraorum, signum illud certissimum esse Ioseph. lib. 2. contra Apionem asserit, quod cum aliorum philosophia in varias sit ducta sectas, Hebraorum semper una permanserit. Assyriorum scholæ Chaldaeos adijcimus: qui à parentibus suis disciplinam veluti hereditariam sortiti pueri discebant: nec enim foris instituebantur, ut Græci. Qua perpetua cura, facilis sequebatur profectus, et una constansque philosophandi ratio. Hi per omnem vitam philosophari, astrorum peritiam tenere, auguria in somniâque fida interpretatione explanare studebant. Et Astrologica ipsorum scientia ex Cicerone patet. Hinc Egyptij etiam, quos in secundam classem reposuimus, physices studio maximoperè addicti fuerunt, Abrahamo patriarcha scholam ipsorum aperiente, qui post diluuium anno fermè 365. in Egyptum veniens sacerdotes Egyptiacos in physicis primus erudit. Et hi deinceps doctrinæ physice Antistites semper fuerunt, quos antiquitas tantoperè admirata fuit, sapientia nomine, ut præstantissimi Græcorum philosophi ad eos profecti sint eruditionis causa. In Magia naturali excelebant, eandemque discere volentibus communicabant, cum nimirum religione non impedirentur, ut Iudæi qui secretiores et acro-



Et acroamaticas disciplinas suas Gentilibus non  
 circumcisus manifestare nefas esse ducebant. Et eo  
 factum ut quamvis vera sapientia physica apud  
 Iudeos esset, ex Aegypto peteretur, quod illic vena-  
 lis prostaret. Pythagoram tamen cum Iudeis sa-  
 cerdotibus conversatum historia tradunt, non prius  
 vero quam Iudaicis sacris initiatus esset. Potuit  
 igitur ille, ut Strabo censet cap. 17. tantisper reli-  
 gionem simulare donec sapientiam et rerum phy-  
 sicarum cognitionem ab illis extorsit. Praecipua  
 autem Aegyptiorum doctrina physica praeter Astro-  
 nomiam, quam diligentissime ipsi quoque excolue-  
 runt, sequentia capita fuerunt. Ex materia quae  
 principium fuerit omnium rerum, quatuor dein-  
 ceptus Elementa discreta, perfectasque complures ani-  
 mantes. Item Mundum genitum esse mortalem  
 et ad Sphaera similitudinem rotundum: aliaque plu-  
 rima eos de natura rerum disseruisse Diogenes  
 Laertius refert. Et ex hac schola prodijt Hermes  
 ille antiquus, ante Pharaonis tempora, qui quod  
 maximus sacerdos, maximus Rex, et philosophus  
 maximus esset Trismegistus, id est, ter maximus  
 dicebatur. quamvis Suidas ob Trinitatis divinae  
 mysterium ab ipso primo inter Ethnicos reuelatum,  
 hoc nominis traxisse eum affirmet. De hoc ferunt,  
 quod cum in Aegypto sacrum quoddam animal  
 Serapi dicatum, tota die naturali duodecies uri-  
 nam reddere pari semper temporis intervallo ob-  
 servasset, per 12. horas diem dividi debere coniece-  
 rit. Exinde hic horarum numerus longo tempore  
 custoditus. Postea ab alijs in 24. horas divisus est  
 dies.



*dies, Polydor. lib. 2. cap. 5. de rer. invent. Et illius perbreuis quidā libellus de trāsmutatione elementorum, & de quinta essentia nostris adhuc diebus extat: aliūdenim ferè nihil à physicis Ægyptiacis nobis relictum fuit. Ægyptiorum proinde scholæ physicae Perlas addimus. Nam & ipsos físicos fuisse constat illustres & politos: quamvis suos quoque errores haud exiguos habuerint, de quibus Laërtius. Doctores verò eorum & præceptores MAGI fuerunt, augurandi divinandiq; nobilitate præstantes, adeoque físicos præcellentes. Quam artem ex rebus naturalibus divinandi homines illi tantifecerunt, ut nemini regem Persarum esse liceret, qui non antè, ut Cicero testatur, Magorum disciplinam sententiāque percepisset, sicut & Scythæ olim reges & sacerdotes creare consueverant ex præstantioribus Phylosophis, Phisicis, quos Tarabostescos & Pileatos vocabant. Ex Ægypto deinceps in GRÆCIAM physica disciplina allata propagatāque fuit, autoribus primis Thalete Milesio & Pythagora: quamvis longè ante hos, físicas haud ignari fuissent Orpheus, (quem tamen fuisse Cicero 1. de nat. Deor. cum Aristotele subdubitat) Linus qui de mundi generatione, item animalium & fructuum procreatione scripsit, item Solis & Lunæ cursus manifestavit: & alij, qui naturæ, ut vocant obscuritatem sub Deorum fabulis rimati sunt. Et horum philosophorum genus Ionicum appellatū fuit ab ipso Thalete ex Ionia oriūdo. Thales ille Milesius, unus ex septem, qui vulgò recensentur, sapientibus, ab Ægyptijs sacerdotibus,*

ad



ad quos profectus fuerat, institutus, omne suū studium ad contemplandam creaturarum DEI naturam transtulit: ac primus in Græcia, teste Laërtio, de natura disseruit, principium omnium aquam esse proponens, mundum animatum & demonibus plenum. Rebus quoque inanimatis aliàs dictis animam inesse opinatus fuit, conjiciens id ex Magnete lapide & succino. Animos immortales esse primus etiam docuit. Astrorum similiter cognitione maxime excellens de Solstitijs & Equinoctijs scripsit. Solis defectus & conversiones prædixit. Urse insuper Minoris inventorem eum esse perhibent, atque primum Græcorum anni tempora & vicissitudines eorum inuenisse, annumq; in 365. dies divisisse. Ex quibus colligimus, quam docta & erudite, etiam tum temporis physica speculationes extiterint. Thaletem secuti sunt in Græcia seu in Ionum physicorum diatriba, Anaximander, Anaximanes, Anaxagoras, ille scilicet qui teste Plutarcho dilucidissimam Eclipsen doctrinam prodidit, & Archelaus, qui Athenis primus Physicem inuexit ex Ionia, ut Suidas ait. Et illi omnes soli rerum naturalium contemplationi animum adiecerunt. Deinceps secutus est Socrates, physicus præ ceteris admodum nobilis & eruditus: cum physicis tamen Ethicem simul introducens teste Ciceron. 4. Tuscul. physiologia autem illius insignis apud Platonem extat, & ex aliorum Socraticorum libris maxime Xenophontis perspicui potest, apud quem de mundo eiusque partibus, rerumque mirabili usu plerumque diserit. Socrati successere præter alios plurimos  
Plato



Plato & nepos eius ex sorore Speusippus, item Xenocrates, Polemon, Crantor, Crates, Arcefilas & alij de quibus Cicero in Acad. questionib. Horum omnium pleniorē successionis seriem doctrinam & vitam breuitatis gratia hic omīssam ab alijs qui de vita phylosophorum scripserunt petere licebit. In quarta denique schola nempe in Italia rerum physicarum doctrinam primus Pythagoras tradidisse fertur, cum multis annis in illa regione philosopharetur. Pythagoras ille iuuenis addiscendi studiosissimus, Samum patriam linguens, cunctis ferē Barbaris Grecisque mysterijs initiatus est, sub præceptore Pherecyde: cuius exquisita naturarum cognitio ex eo liquet, quòd ex aqua fontana à discipulorum quodam sibi sitienti allata potu, terra motum post tertium diem futurum in Scyto Insula prædixerit, ut Laërtius refert lib. 1. Et Plinius lib. 2. cap. 79. Deinde Ægyptum petijt Pythagoras & Chaldeis conuersatus est. In Ægypto vero adyta ingressus, arcana Deorum didicit: Hinc Samum cum redisset offendens patriam à tyranno Polycrate occupari, Crotonam in Italia petit, ibique philosophiam naturalem & alia plurima docuit. Primus ferē Antipodas esse, nobisque obuersa vestigia premere. Hesperum & Luciferum idem esse sydus primus deprehēdit. item 4. tantū esse elementa. Reliquam eius physicam apud alios videre licet. Hunc secuti sunt Thelauges, Xenophanes, Parmenides ille qui primus phylosophorum terram globosam dixisse fertur: item Zeno, item Democritum qui ingens opus de natura Diacosmum scripsit,

B                      propter



propter quod à ciuibus suis quingentis talentis donatus fuit: item alij complures, quibus ordine demum successit Epicurus Atheniensis, qui ut Suidas recenset, anno etatis duodecimo philosophari incipiens, admirandus physicus euasit, & de naturalibus 37 edidit. In hunc etiam Italicam scholam desisse manifestum est. Italicorum physicis subijci possunt alij omnes omnium nationum physici doctores, quos Graeci Barbaros vocarunt: praesertim Brachmanes Indorum aliàs Gymnosophista, Abrahami patriarchae filij ex concubinis, in Orientem à patre cum donis plurimis ablegati. Astrologi dicuntur & Magi excellentissimi: qui adhuc hodie, si vera sunt Lusitanorum nauigationes, cum separatis intelligentijs pro libito versari consueverunt. De his praeter alia plura, unum hoc obseruari potest. Lineis illos contegi solitos fuisse amiculis, quae certo è lapidis genere nentur, ignibus iniecta: sed quae nec aqua per purgantur, verum ubi sordes insederint in flammam coniecta splendent. Praeterea eò pertinent Gallorum vetustissimorum Druides, qui à τῶν δρυῶν à quercetis inhabitatis sic dicti fuerunt. Hi naturalium rerum causis inuestigandis dediti in summa existimatione vixerunt. Omnem hominum congressum & sermonem declinarunt, ne contagione polluerentur. De quibus Strabo lib. 4. item Caesar. Ex scholis autem illis uniuersis solam Graecorum non tam frequentissimam quam florentissimam celeberrimamque fuisse (ad eò ut vel a solis Graecis omnem philosophiam praecipue physicam initia sumpsisse Laërtius arbitretur)



tur) testantur partim plurimorum monumenta  
que ad nostras usque manus pervenerunt, partim  
multorum placita & opiniones de rebus universi-  
tatis, que ab alijs autoribus saltem recensentur. &  
obiter citantur. Quales innumera propemodum  
leguntur apud Hippocratem, Platonem, Aristote-  
lem, Plinium, Plutarchum, Laërtium, Strabo-  
nem, Suidam, Diodorum, Apollonium, & alios.  
Ex ijs verò quorum scripta injuria temporis haud  
perièrunt, antiquissimus omnium philosophus na-  
turalis est Hippocrates Cous, qui præcipuam phy-  
sica doctrinam de natura humana, de genitura, de  
aëre, aquis & locis, de humorib. de partib. corporis  
humani & alijs rebus naturalibus accuratissimè  
doctissimeq; persecutus est. Post Hippocrate Pla-  
to cunctorum philosophorum Homerus viget,  
cujus diuina rerum physicarum scientia ex Dialo-  
gis eius plurimis manifestè patet. Hinc Aristoteles  
Platonis per 20. annos discipulus, in maximo flore  
fuit, quod aliorum omnium qui ante se vixissent  
opinionem & theoremata collegerit, adeoque primus  
universam physicam in ordinem redigere conatus  
fuerit. Aristoteli successit Theophrastus discipulus,  
cujus aurei libri de Stirpibus & Plantis extant.  
His tandem subijcio Dioscoridem Græcum, qui de  
Metallis, de animantibus, de stirpibus, lib. 6. de re  
Medica inscriptis copiosissimè disseruit. Et qui à  
nato CHRISTO vixit Galenum totius sanè nature  
miraculum, cujus physica qualis quantaque ha-  
benda sit, ex monumentis eius posteritati consecra-  
tis liquidò perspicitur. Ultima denique physicorum



schola est, (quæ & ipsa sub Italica comprehendipotest) in qua Romani seu Latini Magistri & Professores docuerunt: quorum omnium philosophorum facile princeps M. Cicero fuit, qui primus effecit, ut Romani Græcis de philosophia literis non egerent. Eiusmodi physici fuerunt M. Varro, Columella, Lucretius, alijs plurimi. Huc etiam merito referuntur, recentiores Medici, qui omnium maxime physicarum rerum cognitioni studuerunt, & res physica scientiæ subiectas præcipue inferiores & terrestres copiosissime eruditissimeque interpretati fuerunt à maximis incipiendos & per medias ad infimas & minimas usque progrediendo eò usque scilicet progressi ut vel nunc primum, hoc nostro nimirum seculo creatura DEI à Moyse in suis physicis proposita, satis illustrata esse videantur. In explicandis enim stirpibus & plantis earumque natura, virtute, qualitatibus atque viribus, an non primas tenet Matthiolus? qui Dioscoridem, Galenum, Fuchsiū, Tragum, & reliquos universos rei herbariæ deditos longissime superavit. Quis quæso est, si vel cunctos veteres physicos colligas, quem Gesnerus non antecellat in explicanda historia animantium? Aurea enim sunt hujus volumina de animantibus ferè universis, ut piscibus & auibus, ut alijs, quorum naturam vitamque & mores doctissime persecutus est. Quisnam amabo præter vnum Vesaliū, pleniorē de singulis animantium particulis, hoc est, de Anatomia seu dissectione corporum, præsertim hominis tractationem inchoavit? In hoc enim genere longè excellit Hippocrate m



cratem, Galenum, Alexandrum Benedictum, cunctosque alios veteres recentioresque Anatomicos atque philosophos. Adeo Medici recentiores Latini physicarum rerum, creaturarum scilicet & operum DEI cognitione. Et haec de veterum omnium, qui ante Aristotelem celebres fuerunt philosophorum, & quorundam saltem recentiorum Medicorum physiologia. Atqui non philosophi tantum illi, verum summi quoque ad reipublica sedentes gubernacula viri, adeoque augustissimi generosissimique heroes, principes & imperatores physicam disciplinam exercuerunt, excoluerunt, eiusque doctores & Magistri exercuerunt. Sic enim Leonem & Imperatorem vehementissime Gemmis earumque speculatione delectatum fuisse ex Platina liquet. Alfonsus Aragonum & Sicilia Rex Margaritas, uniones, Adamantas, ceterosque lapides pretiosos toto orbe quasitos coemit, ut naturam illorum & virtutes contemplaretur. Sed dies deficiat si omnes dinumerare velim reges, quibus Gemmarum physiologia cordi fuerit. De viuentium rerum genere si dicam res planior erit. Quis quaso ignorat, rei herbariae (cujus doctrina propriissime ad physicen pertinet) studium, quam multis regibus & principibus famam immortalem tulerit? Fridericus tertius Imperator hortis plurimum oblectatus, herbarum cognitionem tantam habuit, ut Medicos suae aetatis facile omnes ea in notitia superaret. Similiter Euax Rex Arabum de simplicium effectibus ad alium regem Neronem scripsit. Sic Gentiū regem Illyriae Gentiana planta celebrat, Artemisia



*Cariæ reginam Artemisiam. Item alia plantæ alios reges & principes physica sciëntiæ deditos fuisse commemorant. De animalibus verò quid referam? Quis enim est qui ignoret, quàm plurimi Reipublicæ principes, physiologia dediti, animalium naturam, vitã, mores, actionesque diligentissimè scrutati fuerint? Egyptiorum reges ut morbos & eorum sedes cognoscerent, proprijs manibus mortuorum corpora disseccasse, autores tradunt. Itè M. Antoninum Imperatorem ex mortuorum anatomia proprii corporis constitutionem percepisse ferunt. Præterea physicarum illarum rerum haud ignarum fuisse Dionysium Sicilia regem historia docent, ex quibus constat, ipsum Medicina studio flagrantem, sectiones, vstiones, curationes instituisse, de quo Ælianus lib. 11. de varia historia. Item Hadrianum Imperatorem Trajani nepotem Medicina studiosissimum fuisse nonnulli testantur. Constantinus 4. cognomento Pogonatus, Imperator Constantinopolitanus post devictos Saracenos & Arabes philosophiæ studia renouans, Medicinam etiam summo studio amplexus est: unde & physicum eum fuisse minimè dubium. Ex quibus universis exploratum manifestumque habemus, omnibus seculis ubique terrarum, in regione nempe Assyriorum, Persarum, Grecorum, Romanorum physicam doctrinam, vel à potentissimis heroibus propositam, excultam, auctam & minimè gentium neglectam fuisse. Nunc deinceps plenius de recentiorum physica, eorum præcipuè qui Aristoteleam methodum in hac ut plurimum sectantur, dicendum fuerit.*

*Cura*



Cum itaque Aristoteles physicen à veteribus & à seipso uspiam inuentam & propositam, in varijs libris suis collegisset, in octo autem acroamaticis illis, qui proprie physici nuncupantur, tantum de principijs & causis, subjecto loco, adjuncto tempore & alijs rerum naturalium adjunctis, nihil autem de rebus ipsis differuisset: recentiores Aristotelem incaute temereq; imitantes, nullog; adhibito iudicio in suis physicis plerique nihil, nisi quod ipse in acroamaticis prescripisset de rerum omnium communibus causis, de effectibus, de ijs qua nusquam sunt, de vacuo, inquam, & infinito, proposuerunt. Id est, nihil nisi Logicen, quicquid aliqui contra differere, vel potius rixando contendere velint. Et plurimi obscurum esse Aristotelem in dictis physicis animadvertentes, facilioris intelligentiae gratia, libros illos breuiiores reddere, & in Epitomen redigere, quisque scilicet qui Aristotelicus haberi cuperet, voluerunt, saepe iterum iterumq; illos describentes, adeo ut tot hodie librorum illorum Logico- rum compendia circumferantur, quot vix centenis aliquot carris commode vehi possent. Alij vero in hisce non omnem physicam contineri videntes, alia nonnulla adjecerunt ex alijs libris de Caelo & Mundo, de Meteoris: in quibus tamen haud pauca contingentia & prorsus falsa, plurima aliena, omnia absque ulla methodo & ordine perplexè intricateq; posuissent, eis qua verè physica essent, & praesuppositis principijs suis velut homogenea maxime congruerent, Medicorum contemplationi relictis, seipsos frugibus & facultatibus proprijs spoliantes.



Et praeceptorum istorum autoritas, vanaque discipulorum credulitas effecit, ut hucusque physica vel mutila & imperfecta, vel nugatoria & inutilis omnino de principijs acroamaticis, in scholis & universitatibus ferè cunctis locum habuerit: adeò ut neque discipuli, neque doctores ipsi Aristotelea doctrina amantes viderentur, nisi qui spinosissime obscurissimeque (obscuritatem enim Aristoteli placuisse autumant) absque ullo fructu de ijs quae diximus, tum docere tum discere & disputare, vel potius canillari valerent. Hæc autem & id genus alia in physicorum scriptis proposita, quibus alius optimè dijudicare examinarèque poterit, legum Methodi in artibus & facultatibus universis introspectandarum beneficio. Eiusmodi leges à Galeno in princip. libri de opt. secta ad Trasybulum tres præscribuntur: quæ omnium omnino disciplinarum reformandarum iudicandarumque communes, nullius neque Hippocratis neque Galeni, neque Aristotelis, neque alterius ullius philosophi quantumvis præcellentis autoritati, nulli tempori, loco, occasione adstrictæ sunt. Prima est omnia universim Theoremata & præcepta debere esse ὅλως ἀληθῆ omnino & universaliter vera. Aristoteles in lib. de demonstr. eandem legem præscribens, κατὰ παντός cuncta requirit, id est, nullum quod falsum seu contingens sit, in artibus præceptum tradi debere. Secunda lex est, omnia esse debere συνακόλουθα ταῖς ὑποτιθέσθαι ἀρχαῖς præsuppositis principijs coherentia consentanea, affinia, cognata. Quam legem Aristoteles obscurius κατὰ τὸ per se vocat, & nempe omnia præcepta



cepta sint homogenea, ut nulla παράρρημα, nihil alienū, nihil denique quod ad propositam artem nō faciat, immisceatur. Tertia lex est, ut omnia theoremata χρησιμώς utiliter probéque tradantur: quæ tum demum observatur, si generalia semel generaliter, specialia specialiter, nec eadem sæpius reiterando proponantur, sed sapienter omnis Tautologia evitetur. Hæc legem Aristoteles dixerat καὶ ὁμοῦ καὶ ἑτέρου universale primum, id est, ut metipse alibi interpretatur ἀντισποφον reciprocal: ut scilicet cuncta præcepta sint convertibilia seu vicissim retrorsum commeare possint. Iuxta has proinde leges veluti Mercurialem aliquam statuam viam mihi præmonstrantes, cum & ego non tam libros Medicorum, quam eorum qui propriè physici esse & appellari vellent, scripta examinare ponderareque inciperem, tandem deprehēdi ea de quibus modò dixeram. Primum igitur ut errores ipsorum plenius ad libræ Methodicæ lancem trutinētur, vitioso & putrido jactō fundamento, cætera universa malè superextructa esse cognoscebam. Cū enim NATURA ineptè definita esset principium motus & quietis: ea saltem ratione de principijs & causis. de motu & quiete, & sine quibus motus ac quies fieri haud possit, de loco, tempore, vacuo, infinito copiosè disseritur. Absurdam verò definitionem esse, quivis logicus facile deprehenderit: cum naturæ essentiam & quid ipsa sit, ne utiquam definiat, unde nec subiectum verum physicæ doctrinæ proponi & intelligi potuit: sed quædam tantūm effecta eius naturæ describat & recenseat. Natura igitur potius definiri

B 5      debuit.



debut essentia per se subsistens: ut definitio omni re  
tam corporea quam etiam incorporea naturali  
competeret, eò usque siquidem subjectum physices  
se extendit. Caterum & motus qui proponitur, non  
solum insulse definitur perfectio seu agitatio, idem  
scilicet per idem, & vitiose distribuitur in certas &  
paucas vulgò species, cum infinita sint: sed prorsus  
aliena eius doctrina est in physicis, cum non sit pro-  
prius rerum naturalium, sed omnium quoque alio-  
rum entium & non entium communis. Idem de lo-  
co & tempore intelligendum. Nimirum Logica il-  
la sunt, ideòque in Logicis preceptis explicanda ad-  
discendaque fuerant, sicuti copiosissime acutissime-  
que in Scholis Physicis docetur. A vacuo natu-  
ra omnis abhorret, frustra igitur vacuum in rebus  
naturalibus proponitur. Infinita creatura illis nul-  
la est: vitiose igitur infinitum involucris nescio qui-  
bus in scientia physica tractatur. Verum ut inutilis  
eorum natura definitio satis defenderetur, hæc om-  
nia admodum necessaria, si dijs placet, philosophis  
illis videbantur. Porro res quæ verè sunt physicae  
quales sunt cælum, sydera, Elementa, & ex his orta  
meteora, metalla, stirpes & herbae, animantia, aues,  
pisces, homines, si inquam res illa subducatur, plera-  
que omissa sunt. Nihil siquidem ferè de stellis &  
caelestibus corporibus egerunt, doctrinam illam alie-  
nam esse existimantes: quorum tamen errorem re-  
tè vnus Melanchthon agnouit & refutauit, dum  
pluribus multumque de Stellis in Physica sua pro-  
poneret. Insuper Medicorũ proprium esse de Me-  
tallis & Gemmis, de Plantis, de Animantibus, eo-  
rumque



rümque partium dissectione agere arbitrabantur.  
 Velsi quicquam eorum fuit propositum, omne ferè  
 imperfectum invenimus, ut si collatio instituat,ur,  
 Logica tantum & aliena hæcenus plura tradita  
 sint, quam verè physica: adeò insolenter acroasis  
 physica aduersus diuinam mundi fabricam propo-  
 sita fuit, sicuti non immeritò philosophia sincerioris  
 antistes P. Ramus in responsione aduersus Schec-  
 kium conqueritur. His ita demum intellectis ut  
 faciliori methodo melioriꝫ cum fructu naturali  
 philosophia operam nauare possem, illam ipsam in  
 certas quasdam theses quasi in tabulam digessi, hac  
 lege & methodo, ut obseruatis primùm legitimis de-  
 finitionibus ac distributionibus, partes deinceps in  
 distributione qualibet ppositas plenius dilucidiusꝫ  
 explicarem, per media genera adusque species infi-  
 mas (individa vocant) progrediendo. Relictis ni-  
 mirum & rejectis universis quæ à φύσις & aliena,  
 nec ad artem propriè pertinere viderentur, illa so-  
 lum retinui, quæ vel rerum & naturarum corpo-  
 rearum, vel corporis expertium nomine rectè insi-  
 gniri possent, earumque propria essent affectiones.  
 Et primò doctrinam de corporibus cœlestibus &  
 illarum proprietatibus paulò uberius inserui, quòd  
 Astronomia ceu potissima & augustissima physica  
 doctrina ne antiquam omittenda videretur: cum  
 eiusdem sit artis proponere explicarèque partes &  
 species subiectas, cuius est definire & tractare totū  
 aliquod vel genus. Si itaque physicorum fuerit, ut  
 lubenter illi concedent, de cœlo eiusꝫ natura disse-  
 rere, certè eorundem quoꝫ erit de singulis cœli par-  
 tibus



tibus nempe de stellis stellarumque natura, motu  
 situ distantia & proprijs earum adjunctis docere.  
 Quare Astronomia propria & precipua pars phy-  
 sica scientia existit. Astronomi omnes (vulgò absur-  
 de Mathematici) debent esse Physici: & omnes verè  
 Physici sunt Astronomi. Sequuntur deinceps cor-  
 pora Elementaria tum imperfectè composita, qua-  
 lia sunt omnis generis Meteora, tum perfectè ma-  
 gis & solide mixta, ut sunt Metalla, Stirpes, Ani-  
 mantia. De his enim singulis omnia quae proponi  
 possunt, physicorum est explicare non Medicorum.  
 Quinimò contra reliquos docemus omnem illam  
 doctrinam, ut si quam aliam, physicorum maximè  
 propriam esse, rectiusque ab illis tractari. Et non  
 solum hac, sed omnis omnino Medicina Theoria &  
 contemplatio quae res naturales concernit, est Phy-  
 sica. Similiter Physicorum est non Medicorum,  
 differere de Elementis, elementorumque Qualita-  
 tibus, de Temperamentis, humoribus, de facultati-  
 bus, de Spiritibus in corpore: adeoque universa de  
 his disputatio physica est: unde à nobis quoque satis  
 proposita fuit. Nihil scilicet Medicis relinqui-  
 mus, nisi curationem corporis quae fit medicamen-  
 tis vel simplicibus, vel compositis: quicquid illi con-  
 trà ganire ausi fuerint. Et denique de omnibus re-  
 bus ac singulis, quantum ingenij nostri admodum  
 exigui imbecillitas permittebat, Methodicè trade-  
 re institui. Has proinde nostras in rerum physicarum  
 studio primitias, cum plerique qui illas percepissent  
 divulgari & in lucem edi flagitarent: ego quando-  
 quidem me non solum mihi sed alijs potius natum  
 esse



esse intelligerem, petitioni ipsorum non potui non locum dare, & ut alijs meum quaecumque rem literariam promovendi studium innotesceret permittere. Atqui mirum fortasse aliquibus videatur, quod haec ad Celsit. vestram Illustrissime & Generosissime Heros, quae alijs pluribus grauioribusque reipublicae negotijs implicata sit, quo minus hisce rebus legendis & cognoscendis temporis aliquid tribuere possit, scribere non sim veritus. Causae verò quae me eò impulerint, si cognita fuerint, facile acquiescent. Quod si enim splendor & nobilitas huius studij perpendatur, haud indignum sanè illud videtur viro aliquo principe & augusto: quippe quo etiam plurimi alij potentissimi & augustissimi reges & principes oblectati fuerint, qui non secus atq; nominatissimi & celeberrimi Philosophi hanc doctrinam plenissimè illustrarunt & auxerunt. Deinde plurimum me mouit insignis & nobilis variarum rerum, qua Cels. Vestram pollere nemo est qui ignorat, scientia, & nemini non perspectum, in cognoscendis dijudicandisque rebus omnibus iudicium acerrimum: hoc namq; facit, ut C. Vestram de hac qualicunq; Physices correctione melius rectiusq; indicaturam esse planè cōfidam. Et quis quaeso alius de hoc subdubitet? Ipse siquidem Clementiss. Princeps satis abundè testaris, quam tibi rerum naturalium scientia minimè displiceat, & quid de hac sentire & iudicare possis: cū primam & precipuam huius disciplinae & artis partem de praestantioribus & perfectioribus totius universitatis corporibus, de caelo & caelestibus, id est Astronomiam ad eò excolueris, adeoq;



adeoq̄ cognitam & exploratā habeas, ut vel optimē absolutissimiq̄, veteres & recentiores Astronomi omnes longissimè tibi cedere cogantur. De reliquis enim nunc partibus taceo. Præterea cum in alijs omnibus vel leuioribus & minus utilib. nobis opus sit defensore & patrono aliquo, qui partes nostras tueatur, & cujus beneficio à maleuolorum ictibus & morsu venenato immunes simus: certè & mihi aliquis querendus erat, in his maximè scriptis defendendis, quæ quannis ex politissimorum vetustissimorumq̄ Academicorū promptuario desumpta sint, attamen propter Methodum à vulgari & usitata paulisper recedentem, noua & recentia hominibus nostris videntur. Te igitur Guilielme Princeps illustrissime, studiorū Mecenas Augustissime defensorem meū elegi: te omnes quibus hæc studia cordi existunt, patronum suum vocant, querunt, petuntq̄, ut pro Heroico animi tui candore, pro philosophico, id est, libero, sincero & regio in rebus uniuersis iudicio, pro abauita & laudatissima rem literariam literatosq̄ promouendi promptitudine, ut, inquam, si alia Republicæ grauiora negotia nō impediunt, hunc quoque libellum cognoscere, suscipere, defendere, tueri velis.

V. C.

Addictiss. & obsequentissimus

Guilielmus Adolph. Scribonius Marpurgensis.



CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI DOMINI BERNHARDI COPII I. V. DOCTORIS, supremi Hassorum Iudicij Assessoris prudentissimi, & Græcarum literarum Professoris ordinarij, in Physicam G. Scribonij introductionem præfatio.

**I**LLO RUM diligentia & studium magnoperè laudare debemus, qui accuratè inventa & prudèter doctèque examinata ac dijudicata verissimo antecedentium & consequentium ordine conantur exponere. Illud enim ad veritatem, hoc autem ad intelligendi facultatem commodissimum & opportunissimum est. Nulla profectò docendi ars alia nisi Methodus, quæ Latinis est dispositio, quæ à prioribus natura ad proxima, quæ à notioribus ad minus nota, quæ à generalibus ad specialia, quæ à finitis ad infinita, quæ ita demum ab instituto aliquo genere ad media tum desiniendo, tum dividendo transit, & denique in exemplorum infinitate consistit. Hanc in artib. & literis tradendis philosophorum princeps Socrates apud Platonem in Philebo cum primis commendat. A priscis enim, qui DE I familiares fuissent, hoc tanquam oraculum ait nobis





bis expositum, unum videlicet & multa, finita &  
 infinita esse omnia: cuius hac sententia sit, primo lo-  
 co genus propositum summum definiendum, tum  
 distinguendum illud in species aut partes, & eas  
 maxime duas & singulas similiter definiendas, &  
 sic deinceps ad exempla usque procedendum. Ita-  
 que ille ipse Socrates apud Platonem in Phaedro  
 ait, in docendo se illas definitiones & diuisiones,  
 quibus unum & multa explicentur, amare vehe-  
 menter, & si quem talem nactus sit, qui sic possit  
 unius & multorum naturam persequi, ejus se ve-  
 stigijs tanquam DEI velle insistere atque eum rectè  
 Dialecticum dici posse arbitratur. Planè similiter  
 Aristoteles cum lib. 1. Physicarum disputationum,  
 & lib. 1. de partibus Animalium, tum in libris de  
 Demonstratione à causis generalioribus & notio-  
 ribus & ab illis quæ menti quàm sensui notiora sint,  
 ad alia paulatim descendendum monet. Imò Pla-  
 tonicus ille Socrates in Philebo tandem confirmat,  
 nulla alia via & ratione artium præcepta, nisi hac  
 una, illustrata unquam fuisse: & DEI donum sibi  
 videri ait, quod Prometheus aliquis cum clarissi-  
 mo lumine in terras è celo attulisset. Hac via &  
 ratione Socraticus ille & Academicus M. Cicero  
 Jurisprudentiam explicandam lib. 1. de Oratore,  
 & lib. 2. de Legibus tradit. Hujus generis adum-  
 brata quedam exempla in ordine Categoriae ali-  
 cuius, ordinem predicamentalem vocant, vide-  
 mus proponi. Iure igitur & merito eruditionis  
 gloria excellentis juvenis M. Guilielmi Adolphi  
 Scribonij studium, operam & diligentiam prædi-  
 care



care & celebrare debeo, qui illo verissimo ordine,  
 illa divina & cœlesti methodi regula, illa una sola  
 ad intelligendum commodissima certissimaq; via  
 res naturales immensa obscuritate involutas ex-  
 plicare & illustrare aggressus sit. Neque dubito,  
 quin cunctis Academicam philosophiam, qua ni-  
 mirum ipsa Socratis, Platonis, & Aristotelis est,  
 sectantibus & amantibus hæc eius commentatio  
 & lucubratio gratissima futura sit. Nam cum  
 Academia principum illorum iudicium & aucto-  
 ritatem in tractandis rebus illis secutus sit: nemo  
 est, nisi qui Academicus Philosophus verbo quam  
 factis esse malit, qui laudatissimum illud & pul-  
 cherrimum institutum improbare possit. Quan-  
 quam hortor, cum alios hujus laudis & gloriae e-  
 mulos fortasse habiturus sit, ut incumbere ad exa-  
 minandas & judicandas de his rebus enunciatas  
 & traditas sententias, & ad ponderanda ordinis  
 momenta singula ne desistat. Nam hoc si faciat:  
 primum ille, quod proverbio dicitur, posteriores  
 curas prioribus sapientiores animadvertet, & præ-  
 terea verissimum, quod versu quodam Mimico di-  
 citur, Discipulus prioris posterior dies, intelliget:  
 deinde cum æmulis illis in longè præstantissima pa-  
 lestra, non sine summa laude & gloria versabitur.  
 Prudentissime autem Isocrates, & ipse ex Socratis  
 diatriba ac medijs Academia spacijs profectus, in  
 exordio Euagoræ tali emendatione & correctione  
 ait omnes artes & literas plurimum crevisse sem-  
 per & crescere. Utinam verò ad omnia omnium  
 literarum & disciplinarum genera excolenda ita  
 C quidam



quidam eruditione & prudentia insignes studium,  
laborem & operam conferrent: haberemus pro-  
fecto artes illas & literas non solum cultiores, sed  
multo etiam breviores & ad intelligendum discen-  
dumq; faciliores. Quod ut in Iurisprudencia hoc  
modo exculta certissime eventurum M. Cicero li-  
bro illo 1. de Oratore recte affirmavit, ita in Phy-  
sicis, in Ethicis, & in alijs literis, disciplinis &  
artibus omnibus pariter tractatis, tandem  
eventus & ipsa adeo experientia, ve-  
rissimum fore demon-  
straverit.

ORNA-



35

ORNATISSIMI ET  
DOCTISSIMI VIRI D. M.  
RODOLPHI GOCLENII LVDI  
literarij Cassellan. Rectoris Epigram-  
ma in Physicas partitiones  
Adolphi Scribonij.



Si Logicen tollas, sublata scientia cuncta  
est:

Et, si quid remanet, fabula & umbra  
manet.

Tollatur magno Titania Lampas ab  
orbe:

Et cæca videas omnia nocte premi.

Tollatur lumen Logices ignisque Promethei:

Et parvus tenebris Mundus opertus erit.

Nec nisi pondus iners rerum, indigesta q; moles,

Et rude regnabit, quod fuit ante, chaos.

Et sine norma ibit, sine lege, sine ordine certo,

Omne quod à nobis instituetur opus.

Ac quid erunt artes? quid erunt? monstrosa Chimæra:

Geryonésve: labos Herculis: ore triplex:

Truncúsve informis, vel cassum lumine corpus,

Vel mancum, & mutilum naribus, aure, pede:

Quin etiam inversum (risum teneatis amici)

Hæret vbi ad plantas, ventre sequente caput.

Ergo Socraticos quod confectaris amores,

Et Methodo Physicen lucidiore doces,

Hinc tibi concilias Phœbæo ex ordine multos:

Eximis & fato nomen, Adolphe, tuum:

Tu cœpta modò perge via, & crescentibus annis,

Expoliat scriptum lima seuera tuum.

Filo Ariadneo Theseus: Cicero ore, stylo que:

More Cato: ingenio Dædalus: arte Plato:

Alter Anagnostes: & Socratis æmulus acri

C 2

Iudicio:



Iudicio: invictus mole laboris Atlas.  
 Verum, Iustitiæ numen, Prudentia, sanctè  
 Cui culta est: artis sit Typus ille tuæ.  
 Quodque jubar cæcæ Naturæ affulsit, adauge:  
 Hic labor: at Laus hæc magna docentis erit.  
 At cupis Oceanum parva constringere concha?  
 Scilicet hoc mirum est vnius artis opus.  
 Paruis Mundi ingens tabulis arctare Theatrum  
 Sic menforque soli Cosmographusque solent.  
 At nec disceptata satis nec cognita certò  
 Stant firmamentis ista vel ista suis?  
 Aspiciamus rerum naturam, vt nobile portæ  
 Mirabunda videt vacca recentis opus.  
 Anceps iudicii, nec certa est alea veri:  
 Multa in Natura multa sepulta latent,  
 Quæ non scrutari solerti indagine fas est,  
 Si vel menti acies Carneadea foret.  
 Auspice Natura: Methodo Duce: & Arte Magistra:  
 Et comitante vsu: quod sumus, omne sumus:  
 Nec tamen ingenio, methodoque, nec arte, nec vsu  
 Eruere in lucem, quod latet omne licet.  
 Qui sæpè apparent è scintillante fauilla,  
 Veri ignes paucis elicuisse datur.  
 Et nescire aliquid, nec cuncta inquirere velle,  
 Hæc est è Physici laudibus una boni.  
 Definat ergo Sophos lima mordacius vti,  
 Nec sub iudicium singula verba vocet.

*Eludo literario Cassellan. mens.  
 Decemb. Anno, 1576.*



37

HUMANISSIMO ET  
STUDIOSISSIMO IUVENI

Ioanni Colbio Borkano amico suo

suavissimo G. Scribo-

nius εὐ πράττειν.

**N** accipe tandem, suavissime Colbi, *Physicum meum sub illustrissimi Hassorum principis Guilielmi nomine editum libellum: quem ut promiseram citius absolvi, ut physica studiosis universis inseruirem, quibus maximum esse impedimentum intelligebam, diutius aliorum spinis & tricus detineri, quo minus feliciter in hoc studio versari & pergere possent. Absolui inquam, non ut extremam manum huic operi impositam esse velim, spero enim posteriores aliquando cogitationes meliores fore: sed potius ut alijs me doctioribus & sapientioribus viris hoc proposito meo sim incitamento, ijsq; occasionem praebeam, quò melius rectiusq; tandem doctrinam physicam examinent, dijudicent, & ad leges artium omnium communes κατὰ πάντος, κατ' αὐτὸ, κατὰ ὅλας ἀρετῶν, illa reuocare ponderareq; incipiant, id est, vera tantum propriaq; praecepta de rebus naturalibus sapienter proponant ac tradant. Hæc tamen ne utiquam sententia mea existit, quòd omnem veteribus alijsque recentioribus physicis laudem auctoritatemq; præreptam esse, omnemq; doctrinam eorum vetustate robustam calumniando pervertere velim: id scilicet calliditatis esset. Quamvis enim totum nullus*

C 3

adhuc



adhuc ex prioribus affecutus sit, nemo namq<sup>3</sup> teste Platone in Sophista nouit omnia: immerito tamen ullus aliquis eorum reprehendatur, propterea quod inuenire nō potuerint, laudandi potius omnes quod investigare conati sunt, ut eruditè & eleganter de veteribus loquitur Hippocrates lib. i. de dieta. Eos verò culpa & reprehensione haud indignos reor, qui minus rectè dicta redarguentibus non auscultant, ac testimonium ijs quæ sufficienter dicta fuerunt, prebentibus, omni ratione refragari solent. Hortor itaque & prouoco omnes omnino vos, quacunque in ora ac parte terrarum habitantes physica disciplina magistros, ut huic studio sedulo incumbetes, vanis erroribus aliorū spretis relictisq<sup>3</sup> unam veritatem amplectamini, & in physicis solum quæ propriè & verè sunt physica liberrimè retineatis ac doceatis. Quamuis enim præceptores ac maiores in philosophia, Socrates, Plato, Aristoteles amici sint Philosophis: Hippocrates, Galenus Medicis: Iustinianus & alij Iureconsultis: Augustinus & alij patres Theologis chari sint & amici: magis tamē hisce universis amica grataq<sup>3</sup> veritas ipsa rerum & artium esse debet. Sic enim fiet ut ea quæ ignoramus addiscere, & ea quæ scimus alios commodius majoriq<sup>3</sup> cū utilitate docere queamus. Tu interim suavissime Colbi, cum alijs rerum physicarum studiosis, tantisper dum Musa nostræ meliora dederint, hisce felicissimè utere fruere. Vale.



RERVM NATVRALIVM EXPLICATIO, IVXTA LEGES LOGICAS A GVILHELMO Adolpho Scribonio Marpurgensi proposita.

**P**HYSICA est rerum naturalium scientia. Res naturales sunt essentiae per se subsistentes.

Hæ vel corporeæ sunt, vel incorporeæ.

Corporea res naturalis est essentia constans ex materia & forma, mutationi motuiq; obnoxia.

Corpora, autem omnia, vel simplicia sunt, vel de simplicibus orta.

Simplicia corpora sunt essentiae homogeneæ, rotundæ, solo verbo Dei Fiat creatæ.

Ex his aliud est magis constans, vt cælum: alia minus, vt quodlibet Elementũ.

Cælum, est corpus simplex constans, supremum, lucidum, perpetuoq; mobile.





le. Quod quia fixum in eo loco in quo creatum fuit, permanet, firmamentum dicitur.

Materia hujus etsi aqua sit, propter puritatem tamen assiduæ alterationi minus subiecta est.

Cæli orbis decem sunt, qui vel oculis sensibiles vel imaginarij.

Sensibiles sunt inferiores septem, & octavus, qui propriè firmamentum dicitur.

Imaginarij sunt, Crystallinus orbis, ac decimus qui primū mobile vocatur.

Motus horum omnium est vel ab ortu ad occasum, vel cōtrà ab occasu versus ortum.

Ab ortu ad cōtrarium cardinem moventur extimus ille, nempe decimus.

Et motus hic cūm velocissimus sit, quippe qui 24. horis absoluat, raptus dicitur primi mobilis.

Motus ab occasu ad ortum, vel simplex est, vel varius. Simpliciter moventur nonus & octavus, & dicitur motus horum fieri in consequentia.

Variè moventur septem inferiores,  
cūm



cùm scilicet nũc versus Septentrionem magis, nunc versus Meridiem ferantur: unde motus dicitur Trepidationis.

Ex motu autem illo perpetuo cœli sonans quædam harmonia & concentus Musicus cietur, excitaturq; id est, nihil nisi proportio & æqualitas in cœli motu observatur.

Elementa sunt corpora simplicia infra cœlum minus durabilia, mixtilium omnium matrices ac principia.

In hæc denuò cuncta resolvuntur post orbitum suum, quippe quæ ex iisdem componantur.

Simplicia tamen hæc atque pura oculis nostris minus apparent, quòd ob salutem animantium impura euaserint, cùm aliàs ad nutriendum & alendum non idonea forent.

Elementorum aliud leve est, alia gravia sunt.

Pro cuius levitatis aut gravitatis ratione recto motu sursum deorsumve feruntur.

Leve elementum Aër est, gravia sunt Aqua, Terra.

C 5

Aër



Aer igitur est elementum calidum, humidissimum ac tenue.

Hic quasi halitus (cujus humor dissipabilis quædam est fluxio per cuncta rerum meabilis) leuitate sua omnem ambiētem locum celerrimè implet, ne vacuum quid admittatur, à quo natura omnis abhorret.

Quanta leuitas sit aeris, arguit experientia, quæ vesicam aere plenā nihilo, quàm si sit vacua, graviolem esse docet.

Sed pro solis scilicet calore vel propinquiore vel remotiore aeri præter assignatas qualitates & aliæ adsunt accidentariæ: nempe frigiditas, siccitas, vel ex his media temperies. Vnde aer in tres vulgò regiones distribuitur.

Suprema regio est calida & sicca, luminosa. In hac siquidem calor valde accensus est propter syderum cœliq; propinquitatem.

Media est frigida ac humida, tenebriosa magis: intenditur autem hujus frigiditas propter ἀντιθεσίαν à calore primæ regionis.

Infima regio (nempe infra nubes, proximè



ximè supra terram in qua nos vivimus) est ambigua: modò calida, ob reflexionem radiorum à terra & aquis: modò frigida propter vicinitatem aquæ & terræ, prout Sol accesserit aut recesserit.

Virtus aeris est agilitatem raritatem ac subtilitatem adferre corporibus, vt sint penetrabilia & aperta humoribus, nec nimis crassa.

Aqua, est elemētum frigidissimum & humidum magis crassum.

Quamuis in locis quibusdam ob calidorum corporum vicinitatem calida existat: qualis aqua Thermarum est.

Aqua quoniam extrinsecus constringendo poros corporum in superficie, plus humectare videtur, aere ipso humidior apparet.

Effectus hujus est vt mollificet corpora ad quamlibet figuram facilius suscipiendam. Frigiditate proinde moderatur & temperat calorem cœli ac syderum.

Terra, est elementum graue frigidum ac siccissimum, crassum, immobile.

Sic enim velut centrum in medio existit,



stit, vt omnia alia superiora circa ipsam  
moveantur.

Ingens eius siccitas probatur ex hoc,  
quòd affusum humorem omnem com-  
bibens per se sola exiccat.

Partes terræ, montes, cõvalles, quam-  
vis vel altiores vel decliviores appareãt:  
attamen nullius montis seu convallis  
inæqualitas impedit elementi totius ro-  
tunditatem,

Sicuti nec musca corpori rotundo in-  
fidens, nec clavus rotæ infixus impedit  
ejus rotunditatem. Præsertim cùm nec  
altissimus mons aliquis ad perpendicu-  
lum (si cuncta linearum comprehēdan-  
tur ambitu) superemineat reliquam ter-  
ram plus xv, stadiis, nec humilior sit ter-  
ra vel in profundissimo fundo maris  
xxx. stadijs, id est, miliari Persico.

Elementa proinde illa præter motum  
qualitatibus potissimùm discernuntur,  
quæ illis inesse dictæ sunt.

Qualitates illæ vel Principes sunt, vel  
ab ijs Ortæ. Principes seu primæ di-  
cuntur, quæ ex ipsis elementis nullius  
interventu prodeunt, & reliquarum  
quasi bases sunt. Hæ



Hæ vel agentes sunt, vel patientes.

Agentes, quæ potio-rem agendi vim obtinent, ut calor & frigus.

Calor est, qualitas prima, congregans homogenea, & disgregans heterogenea.

Frigus, est qualitas princeps, homogenea & heterogenea pariter congregans.

Patientes qualitates sunt, quæ minus agunt, vt humor & siccitas.

Humor, est qualitas patiens, difficulter, termino proprio consistens.

Siccitas, qualitas est patiens, facile termino proprio comprehensibilis.

Quamvis autem effectus primarum qualitatum simplices sint: interim tamē pro combinatione sua diuersos sæpenu-mero effectus ipsæ producunt.

Ex mixtura proinde illarum proportionali Temperamenta oriuntur.

Temperamentum enim est quatuor elementarium qualitatum principum permistio.

Hoc vel æquale est, vel minus æquale.

Æquale (vulgò temperatum) est, cū qualitates elementares æqualiter in unum coierint.

Quod



Quod vel ad pōdus est, vel ad justitiā.  
 Aequale ad pondus, est in quo par &  
 exquisita commistorum elementorum  
 moles spectatur.

*Gal. I. de sa-  
 mitat. tuenda.*

Verūm ejusmodi temperamētum sci-  
 licet optimum, absolutum omnisq; ex-  
 cessus expers vix momēto quidem du-  
 rare solet.

Æquale ad justitiam, in quo non abso-  
 luta mistio, sed ea cōtrariorum elemen-  
 torum mediocritas existit, quæ corpo-  
 rum naturæ maximè convenit. Quale  
 in singulis generibus observatur.

Inæquale est (vulgò intemperatum)  
 quod dispari inter se elementorum mi-  
 xtione continetur.

Est autem vel simplex, vel compositū.

Simplex, cūm aliquod in vna tantūm  
 oppositione habetur, vt calidum, frigi-  
 dum, humidum, siccum.

Compositum, cūm in vtraq; oppo-  
 sitione alterum excellit, siue calidum cū  
 humido vel sicco, siue frigidum cum  
 humido aut sicco.

Omne ejusmodi temperamentum æ-  
 stimare potest veluti iudex solus tempe-  
 rati



rati hominis tactus: cutis potissimum  
quæ in vola manus est.

Præter tactum verò singularum cor-  
poris partium temperaturæ, tum sub-  
stantia, tum compositione quoque no-  
scuntur.

*Gal. in arte  
Medica.*

Qualitates porrò à principibus ortæ,  
vel mediatè ab illis profluunt, vel imme-  
diatè.

Immediatè à primis oriuntur & pro-  
fluunt, quæ vulgò secundæ dicuntur, vt  
sunt, Tactiles, Visibiles, Gustatiles, Ol-  
factiles.

Tactiles qualitates sunt mollities, du-  
rities, leuitas, grauitas, raritas, densitas,  
tenuitas, crassities, asperitas, lenitas, len-  
tor, ariditas, friabilitas, lubricitas. Vnde  
oriuntur virtutes emolliendi, induran-  
di, condensandi, rarefaciendi, increffan-  
di, leniendi, extergendi, laxandi, conte-  
rendi, extenuandi, & aliæ.

*De quib. Gal.  
5 simpl. 2.*

Visibiles qualitates colores sunt.

Qui vel simplices sunt, vt albus & ni-  
ger, vel mixti, vt reliqui qualescunque.

Hi primas qualitates plerunq; in cor-  
poribus arguunt & nobis indicant. Sic  
albe-



albedo frigiditatem, rubedo caliditate.  
 Quamvis multa interim rubro colore  
 intincta sint, quæ nihilominus frigidita-  
 te pollent, ut rosæ, fragaria, pariter & cã-  
 dida multa sint calida, ut Colocynthis.

Gustatiles qualitates sunt Sapores.

*De his om-  
 nibus præter  
 pinguem quæ  
 addidit, vide  
 Plat. in Ti-  
 mæo.*

Sapor, est partis siccæ terreæ per hu-  
 morem vi caloris percolatio. Omnes  
 autem sapores vel calidi existunt, vel  
 frigidi. Calidi vel vehementer sunt

calidi, vel mediocriter.

Vehementer calidi sunt acris, amarus,  
 falsus.

Acris sapor est, qui linguam mordi-  
 cās veluti perforare videtur cum sensu  
 calidi, qualis est piperis, zinziberis, sina-  
 pis, nasturtij, ceparum, allij & similibus.

Amarus est, qui linguam quodammo-  
 do erodere videtur, & ad profundum  
 penetrando ipsam vehementer adstrin-  
 git, qualis est in felle, aloë, nitro & alijs.

Salsus est, qui prædicta omnia, sed re-  
 missius efficit, quem in sale cernere licet.

Mediocriter calidi, sunt dulcis ac pin-  
 guis.

Dulcis est, qui linguam quasi lenire &  
 appla-



applanare videtur, eiq; suavis ac delectabilis apparet, vt in Saccharo, melle & aliis.

Pinguis, est qui eadem quæ dulcis sed sine suauitate & delectatione efficit, qualis est in oleo, butyro, adipe animalium, atque similibus.

Frigidi sapes sunt, acerbus, austerus, acidus.

Acerbus, est qui linguam contrahit, ut velut humorem ab ea exprimere videatur, eamq; inequalem & asperam reddit, ut fructus Ilicis, Fagi, Arbuti, Corni & aliorum.

Austerus, est qui dicta quoque efficit, sed remissius, & sapore ad linguæ partes penitiores magis penetrante: qualis est in fructu Myrti, Rhois obsoniorum, in Malicorio & alijs multis.

Acidus, est qui mordicat linguam, & ad profundum penetrās ipsam quoquo modo adstringit, absq; tamē caliditate vlla: qui sapor apparet maximē in omphacicio seu agresta, limonibus, malo citrio, oxalide, & similibus multis.

Olfactiles qualitates, odores sunt.

D

Odor



De hoc Aristo-  
teles 2. de ani-  
ma, & lib. de  
sensu ac sensi-  
bilib.

Odor est qualitas secunda ex mixtione  
terrei sicci à calore velut exusti & atte-  
nuati cum humido euaporabili, genitus.

Calor ille qualiscunque si benè conco-  
quat humidum, & sicco congruè per-  
misceatur, bonus gignitur odor, sin verò  
malè, malus ac foetens.

Intellige odorata omnia, in quantum  
talia sunt, calida esse ac tenuis essentia,  
quamuis quantitatem caliditatis atque  
tenuitatis denotare nobis haud valeant.

Mediatè à primis ortæ qualitates sunt,  
quæ vulgò tertie & quartæ nominantur.

Quamuis ex his sint quæ neque ad pri-  
mas neque secundas absolutè reijci pos-  
sint, ut ciendi vomitum potestatem ha-  
bentes, catarcticæ, epaticæ, cardiacæ,  
splenicæ, & aliæ. Harum siquidem causa  
in primis & secundis qualitatibus non  
semper demonstrari potest.

Tertiæ qualitates sunt, quæ secunda-  
rum interventu à primis profluunt, ut a-  
pud Medicos facultates siccandi & de-  
tergendi, quæ carnem generant, validè  
siccandi & adstringēdi, quæ cicatricem  
inducunt: modicè siccandi & constri-  
gendi quæ glutinant. Quar-



Quartæ qualitates, quæ vocantur vulgò virtuales, seu specificæ, vt in magnete virtus attrahēdi ferrum, Aspleni facultas peculiaris ad splenem, fœniculi ad oculos: pæoniæ ad epilepsiam.

Et hæc de corporibus simplicibus, eorumq; qualitatibus sequitur de ijs quæ ab his oriuntur.

Corpora de simplicibus orta vel cœlestia seu ætherea sunt, vel elementaria seu mixta.

Ætherea corpora Stellæ sunt.

Stella est pars cœli magis coacta, lucida, rotunda.

Materia autem cuiuslibet stellæ, quò purior existit eò stella quoque lucidior est, ut Iupiter: Quo rarior, eò magis albicans apparet, vt in Galaxia. Quò spissior, eò magis rubet, ut stella Martis.

Noctu omnes vel sub crepusculum solummodo cōspiciuntur apparent, quoniam interdiu lumine Solis obfuscantur.

Stellæ proinde vel errantes sunt, vel inerrantes.

Inerrantes vocantur omnes quæ in octauo cœlo innumerabiles fixæ inhæ-

D 2 rent.



rent. Sic dictæ à motu tardissimo.

Cognoscuntur hæ scintillatione: ob claritatis siquidem suæ excellētiam, quæ visus nostri tenuitatem constringens, oculos tremere facit, deinde ob visus nostri distantiam scintillare putantur.

Fixæ ita stellæ xlviiij. imaginibus certis distinguuntur.

Quæ vel in Zodiaco sunt, vel extra Zodiacum.

In Zodiaco imagines duodecim sunt, quæ his versiculis continentur. Vulgò Dodecatemoria, quasi duodecimæ partes:

*Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo.  
Libra, scorpius, arcitenens, caper, amphora,  
pisces.*

*Ciceroni iugum.*

Hæc Zodiaci signa in tot partes distributa sunt, duce Luna quæ quotannis Zodiaco tredecies peragrato, Soli tardius procedenti in xij. cœli locis duodecies conjungitur.

Singula deinde illa signa rursus in xxx. partes seu gradus distribuuntur iuxta diurna Solis itinera. Singulis enim diebus Sol. j. gradum conficit.

Extra



Extra Zodiacum vel aquilonares existunt, vel meridionales.

Aquilonares numerantur xxj. Cynosura, Helice, Bootes, Draco, Cepheus, Corona Borealis, Hercules, Lyra, Gallina, Cassiopœja, Perseus, Heniochus, Serpens, Serpentarius, Sagitta, Aquila, Delphinus, Pegasus, Equi sectio, Andromeda, Triangulus.

Meridionales recensentur xv. Cetus (Andromedę infestus) Orion, Eridanus, Lepus, Syrius, Procyon, Argo, Hydra, Crater, Corvus, Cõtaurus, Lupus, Ara, Corona austrina, & Piscis magnus austrinus.

Stellæ autem universæ in hisce imaginibus obseruatæ iuxta magnitudinem suam in vj. differentias distinguuntur.

Primæ magnitudinis xv. numerantur, quæ mole sua terram cēties septies cum  $\frac{11}{64}$  superant.

Secundæ magnitud. xlv. sunt. In aquilonaribus scilicet imaginibus xvij. in meridionalibus totidem. In zodiaco ix. quæ terram excedunt octogies septies.

Tertiæ sunt ccv. Ex aquilonarib. lxxxj.

D 3 Ex



54 G. SCRIBONII

Ex Aust. 60. Ex zodiacalibus 64. Terra majores septuagies bis cum triēte ferè.

Quartę sunt 477. In plaga aquilonari 177. In meridionali 167. In zodiaco 133. terram excedunt quinquagies quater.

Quintę dicuntur 217. In aquilon. 58. In meridion. 54. In zodiaco 105. Terra majores 31 partibus.

Sextę stellę 49 sunt. Ex aquilonaribus 13. meridion. 9. In zodiaco 27. Terra majores decies octies & paulò amplius.

His adduntur obscuræ nouem, nebulosę 5. vt sint omnes 1022.

Errantes stellę septem sunt in ceteriore cœlo singulę in singulis orbibus, quę à vario ac dispari motu quo circumferuntur, planetę dicti sunt. Sunt autem hoc ordine positæ.

Saturnus plumbeo colore tardissimus 30 annis cursum in Zodiaco conficit. Terra major 91. cum parte octaua.

Iuppiter stella lucida 12 annis Zodiacum peragrans terra major est 95 & parte dimidia.

Mars colore rutilo, annis 2 cursum absol-



absoluit. Terra major semel, & paulò plus vna tertia.

Sol omninò lucidus annuo spacio iter conficiens, terram excedit 166. cum  $\frac{3}{8}$

Venus candida eodem cum Sole tempore zodiacum percurrit. Minor terra existens.

Mercurius lucidus non tantũ albicans eodem cum præcedentibus spacio circumagitur. Stella fermè minima.

Luna infima 27 diebus & 7 horis metam attingit. Terra minor 39. & vnitate plus besse.

Ad stellarum illarum omnium tam fixarum quàm planetarũ positum, situm, motum ac distantiam cognoscendum, & demonstrandum, circuli decem inuenti sunt.

Circuli illi vel mobiles, vel immobiles existunt.

Immobiles sunt Horizon & Meridionalis.

Horizon, est circulus immobilis, qui Sphæram, cœlestem in duas partes æqualiter diuidit, conspicuam nobis mundi partem à non conspicua secernens.

D 4

Meri-



Meridionalis, est circulus per loci cuiuslibet verticem & mundi polos ductus: ad quem Sol delatus inter diu meridiem, noctu mediam noctem efficit.

Poli, sunt extremitates duæ axis, id est, lineæ mediæ per sphaeram tractæ, circa quas ipsa circumvoluitur, vnde à vertendo sic dicuntur.

Variatur ille circulus pro situs locorumq; mutatione.

Tot enim ferè Meridiani, quot verticalium punctorum differentia.

Circuli mobiles alij maiores sunt, alij minores.

Majores, sunt Zodiacus, Æquator, Colurus.

Zodiacus, est circulus major, latus, obliquus, vbique idem, sub quo Planetæ perpetuò feruntur.

Huic in medio secūdum latitudinem linea dispescit in duos æquales ambitus octo graduum spacio definitos (totius enim latitudo xvj. gradibus cōcluditur.) Quæ linea, quòd defectus luminarium in ea contingant, Ecliptica dicitur.

Fiunt autem Eclipses ejusmodi, si luminaria



aria sint in ipsis nodis, vel propè ipsos.

Nodi, sunt interfectiones circulorum, qui à Solis ac Lunæ cursu conficiuntur: quorum figura dicitur Draco.

Ex his alius superior est, ascendens dictus, vulgò caput Draconis: alius inferior qui descendens, & cauda Draconis dicitur.

Ascendens est punctum illud, vbi Luna ab Ecliptica digrediens ad verticem nostrum accedit.

Descendens nodus est seu deuehens, vbi Luna discedens etiam à vertice nostro remouetur.

Defectus autem luminarium vel Totalis est vel Partialis.

Totalis, est totius syderis obscuratio, quæ contingit in ipsis nodis seu interfectionibus.

Partialis, est in vna tantùm parte luminaris obfuscatio: quæ propè nodum alterum contingit.

Defectus omnis vel Solis est, vel Lunæ.

Solis defectus, est exclusio radiorum Solis, facta Lunæ interpositione inter ipsum ac visum nostrum: labor Solis vulgò nominatur.

D 5 Con-



Contingit verò interpositio illa in cō-  
 junctione vtriusque luminaris, si Luna  
 vel nullam, vel exiguam modò latitudi-  
 nem habens, consistat intra terminos E-  
 clipticos: qui versus Austrum 11. gradib.  
 22 minutis: ad Septentr. 20 gradibus  
 describuntur.

Intellige autē Lunam, quāvis minorē  
 multò, Solis tamen radios excludere,  
 tum propter propinquitatem suam, ob  
 quam est discus aliquis ante oculos no-  
 stros positus, montem vel amplissimum  
 tangere potest: tum propter altitudi-  
 nem & distantiam Solis à terra: cum de-  
 cies novies ferè longius, quàm Luna à  
 terris absit.

Totalis obscuratio Solis, cum non uni-  
 verso orbi appareat, sed ijs tantum ho-  
 minibus, inter quorum adspectum &  
 Solem Luna interponitur, totalis quidē  
 non universalis dicitur.

Defectus Lunæ, est priuatio luminis  
 Solaris in Luna.

Contingit hæc priuatio in oppositio-  
 ne, Luna incurrente in vmbra terræ  
 diametraliter inter Solem ac Lunam  
 positæ,



positæ, vt nullam vel minorem 65. minutis latitudinem habeat.

Termini minoris illius latitudinis vltra citraq; 15 duntaxat gradibus describuntur.

Sed quoniam rarò tam propè ad Eclipticam accedit Luna, licet singulis mensibus Soli opponatur, non tamen singulis Eclipsin patitur.

Totalis Lunę obscuratio, quòd ab omnibus in eodem hæmisphærio viuentibus videatur, universalis quoque vulgò dicitur. Quamuis interim Orientalibus tardius, Occidentalibus citius appareat.

Longissimè illa durat, si vtriusque luminaris centra rectam lineam cum centro terræ constituent. Et hæc de Zodiaco, & media eius linea Ecliptica.

Æquator est circulus major, qui medio sphæræ loco constitutus inter vtrūque polum, & ab vtroque æqualiter distidens Zodiacum in duobus punctis interfecat.

Hunc si Sol occupat Æquinoctium efficitur, id est, dies noctesq; in æquales partes in tota terra distribuuntur.

Æqui-



Æquinoctium alterum Vernale est, alterum Brumale.

Vernale contingit in principio Arietis primi gradus, primo scrupulo xj. ~~virg.~~ vel xij. Martij.

Brumale in principio Libræ mense Septembri accidit: quamuis tempora & puncta vtriusque æquinoctij variari soleant.

Colurus vel æquinoctiorum, vel solstitiorum est.

Colurus æquinoctiorum, est circulus major, qui per polos mundi ductus puncta æquinoctialia demonstrat.

Colurus solstitiorum, est circulus idē ubique qui per polos zodiaci ac mundi scilicet ductus cum vtroque angulos re-ctos sphaericos constituens puncta solstitiorum indicat.

In hoc Sol ab æquatore remotissimus cursum inhibens, ad oppositum mundi cardinem se convertit.

Est autem solstitium vel æstiuale, vel hyemale.

Æstium nostris temporibus in xij. vel xij. Iunij incurrens in principio Cancridiem



diem longissimum, horarum xvj. minut. xxx. constituit.

Hybernū in principio Capricorni xj. plerunque vel xij. Decembris, diem æstiuo contrarium efficit, scilicet breuissimum, horarum nempè vij. minut. xxx.

Minores, sunt extremi vel medij.

Extremi nempè circa polos sunt Arcticus & Antarcticus, quorum vterque à polo suo distat xxij. gradib. cū semisse.

Arcticus, est circulus minor circa borealem mundi polum.

Antarcticus est circulus minor circa Meridionalem mundi verticem.

Medij circuli minores, sunt Tropici & Cancri & Capricorni.

Tropicus Cancri, est circulus æquabiliter perpetuò ab æquinoctiali distans, quem Sol ingressus principium Cancri describit.

Tropicus capricorni, est circulus qui à Sole in principio capricorni constituto efformatur.

Et hæc de cœlestibus corporibus, sequitur de Elementaribus.

Elementare seu mixtum corpus est,  
quod



quod ex quatuor elementis variè miscetur ac constituitur.

Manent enim in mixtis ipsa elementa cùm secundùm qualitates, tum secundùm formas substantiales: non tamen integras & perfectas, sed immutatas, retusas ac per tota mixtilium corpora commixtas.

*Hip. de nat.  
hum.  
Gal. de elementis.*

Eodem fermè modo, quo ex substantialibus formis ceræ, resinæ picis & adipis medicamentum fit Tetrapharmacum, & ex alijs alia componuntur.

Mixtio igitur illa, est mixtilium alteratorum coadunatio.

Hæc ut rectius perficiatur, mixtilia inter se connexa sint oportet, siue homogenea illa seu heterogenea sint.

Deinde ut se inuicem corrumpant, reseruatis tamen ac retentis formis accidentariis & sensibilibus qualitatibus.

Elementaria corpora, vel imperfectè mixta sunt, vel perfectè.

Imperfectè mixta sunt, quæ minus firma, minusque solida compositione sunt concreta. Eiusmodi sunt Meteora.

Meteora sunt corpora imperfectè cōposita



posita, in aëre seu terra apparere solita.  
 Latinis impressiones, quod impressu,  
 id est, virtute astrorum gignantur.

Causæ enim meteororū sunt, efficiē-  
 tes, syderum influentiæ ac motus: mate-  
 riales, fumi ex aqua terrave exhalantes.

Fumus autem omnis, vel vapor est,  
 vel exhalatio.

Vapor, est fumus calidus & humidus  
 à calore Solis ex aquis in sublimē extra-  
 ctus, ibiq; cōgelatus vel denuò resolutus

Exhalatio, est fumus calidus ac ficcus  
 inflammabilis à Sole ex terra in sublimē  
 tractus & ibi percoctus.

Meteororum duo sunt genera: aut e-  
 nim ex alterutro tantum fumo, aut ex v-  
 troque simul generantur.

Primi generis duæ species sunt: aut e-  
 nim ex sola exhalatione oriuntur, & di-  
 cuntur ignea, aut ex solo vapore, & di-  
 cuntur aquea.

Ignea meteora sunt, quæ vel ab exha-  
 lationibus orta ignis instar ardent, vel  
 ignitam quandam formam referunt.

Quæ ignis instar exardescūt, vel ascen-  
 dentia sunt, vel descendencia,

Ascen-



Ascendentia, sunt ignis perpendicularis, bolis, candela accensa, scintillæ volantes, capræ saltantes.

Ignis perpendicularis, est exhalatio inæqualiter crassa & subtilis quæ ab æstu supremę regionis aëreę accēsa formam columnæ pyramidalis refert.

Bolis (iaculum ardens) exhalatio est æqualiter subtilis & crassa quę incēsa redit figuram sagittæ ardentis ab vna parte in aliam transcurrentis.

Candela accensa, est exhalatio subtilior & rarior, quæ ex æquo potest extendi & dilatari, continuè parte superiore accenditur.

Scintillæ volātes sunt, exhalatio discontinua ac dispersa, cuius partes non simul omnes, sed singulæ seorsim inflamman-  
tur.

Capræ saltantes generantur, si exhalatio in longum magisq; in latum, veluti in duas partes diuisa accenditur, quæ scintillatione quasi saltare videtur.

Descendētia meteora ignea sunt, quæ magis in inferiore aëris parte apparent, ut stella cadens, ignis fatuus.

Stella



Stella cadens, est exhalatio quæ euecta  
 sursum & inflammata & à nube rursus  
 deorsum repulsa decurrit, & quasi ca-  
 dere videtur.

*Plinio stellarum discursus.*

*Seneca stella transuolantes.*

Ignis fatuus, est exhalatio crassior minus calida incensa instar candelæ, quæ vento agitata decliuiora loca petit. Unde noctu iter facientes, si candelam illam sequantur, in præcipitia feruntur. Si unica sit candela, à nautis Helena vocatur, si duæ sint Castores, vel Castor & Polux dicuntur: quòd bonam tempestatem (quam præfagire istæ videntur) numina illa efficiant.

Ignitæ apparentiæ sunt Halones, Irides, Parelia.

Halones, sunt circuli luminosi in extremitate nigricantes, circa Lunam vel Solem directè suppositi, ex radiorum reflexione in nube æquabili generati.

Observandum verò, etiam si Halo videatur proximè ambire Solem aut Lunam, infra mediam tamè aëris regionem, ipsum effici ex diametro & directè sub Sole aut Luna.

Frequētius apparet Halo Lunæ quàm  
 E Solis:



Solis: quia Sol radijs suis facilè dissoluit & consumit materiam Halonis, vt euanescat.

Iris, est arcus varicolor in nube rorida opaca & concaua ex radiorum Solis oppositi reflexione apparens.

Semicircularis apparet, quia perpetuò ex opposito Solis efficitur, vt idem cum Sole centrum Iris habeat.

Intellige quò propius Horizontem Sol existat, eò maiorem apparere Iridem.

Nonnūquam & altera Iris, sæpè etiam tertia cernitur: sed tamen paulò hæ sunt obscuriores priore, ex resplendescencia scilicet prioris genitæ. Argumento est, quod perpetuò colores in positione nõ aduersos habeat.

Parelion, est idolū Solis in nube splendida ac rorida expressum. Quod fit quando exhalatio subtilis inter visum nostrum & Solem concurrit, in corpus rotundæ & æquabiliter densæ nubis, ad latera Solis sitæ, à qua refringuntur radij Solares tanquam à speculo ad oculum, effigiemq; Soli similem efficiunt.

Eiusmodi Meteoron intelligitur, cum dicunt



dicunt duos aut plures Soles apparuisse.

Idola talia, si sub Luna appareant, Paraselinæ nominantur.

Altera species primi generis, est in Meteoris Aqueis.

Aquea Meteora sunt vapores seu resoluti, seu plenius constricti, qui in aquam facillimè permutantur.

Hujusmodi sunt nubes, Pluvia, Nebula, Grando, Ros & Niues.

Nubes, est vapor sublatus extremo mediæ regionis aëreæ frigore constrictus. Hæc si parua admodum sit, nubecula dicitur.

Suspenduntur Nubes & coërcentur in sublimi ne decidant, calore Solari illas ad se attrahente. Agitantur autem & huc illucq; feruntur motu & agitatione ventorū eas in diuersas partes pellentiū.

Pluvia, est liquefacta nubes, & in aquā guttatim destillantem resoluta. Illa si copiosior decidat cum impetu, Imber dicitur.

Observa interim miraculosè potius quàm naturaliter, ranis, lacte, lapidibus, carne & aliis sæpè pluuisse.

*Plinius ad sua tempora tantum tres visos esse. Milichius à rege quodam Poloniae 6. similiter visos esse refert.*



*Hippocrati  
vapor in aere  
coherens &  
continuus.*

Nebula, est sterilis quædam nubes.

Grando, est pluuia in descensu rursum à modico frigore infimæ partis mediæ aëris regionis constricta. Imperfectior si sit Grando, Granula dicitur.

Grandiores ex altiori loco descēdentes, rotundiores & minores: ex viciniore majores ac magisteretes existunt.

Ros, est vapor cum terrestri modico in infima aëris parte condēfatus, qui decidens in aquam mox resoluitur. Quòd si diutius perduret, Pruina vocatur. Ita enim tardiore vel citiore resolutione differunt.

Nix, est vapor infra mediam paulò regionem, à frigore instar lanæ carminatæ molliter conglobatus. Hæc in hyeme potissimū decidit, quòd in æstate calor radiorum Solarium prope nos reflexorum non sinat vaporem in lanam congelari.

Et hæc de primo genere Meteororum, sequitur de secundo.

Secūdum genus Meteororum, est eorum quæ ex utroq; fumo producuntur: ut sunt Cometa, Tonitru, Coruscatio, fulmen



fulmen, lapis fulmineus, Ventus, & qui huic similis est, Terræmotus.

Cometa, est fumus crassus, viscosus, partibus densè compactis, qui in supremam aëris regionem eleuatus, ibi proximè cœlum propter materiæ multitudinem, dilatatur & incenditur.

Cometarum figuræ, pro materiæ varietate, sunt diuersæ: ex omnibus tamen præcipue sunt Crinita, Caudata, Barbata.

Crinita figura apparet, si exhalatio quidem circularis in medio densior, circa extrema autem rarior fuerit.

Barbata cernitur figura, si fumus circa extrema rarior & dispersus sit.

Caudatæ stellæ speciem refert, si materia densior vna parte, reliqua verò in longum protensa rarior est.

Tonitru, est fumus è nubibus à frigore per antiperistasi ad eò violenter expulsus, ut nubium pariat disruptionem, quæ fragorem edit Tonitru dictum.

Coruscatio, est fumi illius è nubibus expulsi lumen inflammatum, altiusq; supra terram resplendens.

Hæc si non admodum luminosa sit, &

E 3 ferè



ferè sine fragore emicet, fulgetrum dicitur.

Fulmen, est fumus spissior arctiusque compositus vehementius inardescens.

Lapis fulmineus est fumus calore Solis intensissimo & coruscationis in lapidem induratus.

Acuminatur hic lapis, eò quod humidus vapor siccitati admixtus effugere nitens ad inferiora tendit. Siccitas autè superiore parte cōglutinatur.

Ventus, est fumus subtilis in media regione aëris, cujus frigore deorsum repulsus lateraliter supra terram mouetur.

Animaduerte etiam si materia Ventorum sursum feratur, moueri tamen eos lateraliter & obliquè, quia exhalationes istę violentia frigoris occurrentis repulsæ propter leuitatem suam nō è directo deorsum feruntur: sed composito motu, violento nimirum & naturali in obliquum retorquentur.

Numerus ventorum pro varietate locorum à quibus flare solent, variat. Numerantur tamen præcipui 12. terni scilicet à 4. mundi cardinibus spirantes.

Ab ortu, Cæcias, Subsolanus, & Eurus



rus qui etiam Vulturnus dicitur.

A meridie, Libanotus, Auster, Phœnix  
feu Euroauster.

Ab occasu, Corus, Zephyrus siue Fa-  
uonius, & Africus.

A Septent. Aparctias, Boreas, Circius.

Omnes hi pro materia & origine cali-  
di & sicci sunt: verum propter situm lo-  
corum per quæ Venti ad singulas regio-  
nes accedant diuersi inter se fiunt.

*Hippoc. 2. de  
dieta omnib.  
humectandi  
& frigefa-  
ciendi vim  
tribuit.*

Ventorum copia si ingens sit, ac mayo-  
re incurfu superillata, terræ aërem ob-  
scuret, procella dicitur.

Sin propè terram vel maria proxima  
quæque prosternit, raptaque sursum at-  
tollit, Turbo vocatur.

Sin mediocris tantum Ventus aërem  
ventilet, Aura dicitur.

Terre motus, est fumus terre inclusus,  
qui dum erumpere nititur, viâ propter  
soliditatem terræ non inueniens ipsam  
concutit ac tremere facit.

Concussionis hujus duæ sunt species:  
prior cum in latitudine terræ concussio  
apparet: altera quando terra ceu intum-  
escens eleuatur, & deinde iterum subsidit.

E 4 Tan-



Tantum de corporibus elementari-  
bus minus perfectè mixtis: nunc dein-  
ceps de perfectis. Perfectè mixta cor-  
pora sunt, quæ solidiore ac firmiore cõ-  
cretionè mixta & coadunata sunt.

Hęc vel intra terrã sunt, vel extra terrã.

Intra terram sunt Metallaria.

Metallaria, sunt corpora perfectè mi-  
xta, ex materia vnctiuosa terrestri vel a-  
quosa, in venis terræ virtute metallari  
decocta & formata.

Vnctiuosa illa materia terrestris Sulphur  
est: Aquosa, Mercurius. Ex his liqui-  
dem tanquam parētibus coeuntibus in  
mineris terræ ceu in matrice omnia me-  
tallaria procreantur.

Sulphur, est pinguedo terræ igneo ca-  
lore ad indurationem excocta.

Simplex hoc & viuum in fodinis repe-  
ritur: est & factitiũ quod mortuũ dicitur.

Mercurius (vulgò Argentum viuũ) est  
aqua viscosa albicanti terræ similis, per  
calorem temperatissimũ totali vnione  
coagulata. Reperitur intra Metalla,  
item in lacubus in quos è fibris effluit.

Artificialis ejusmodi coquitur ex Mi-  
nio

*Plin. lib. 33.  
cap. 6.*

*Dioscor. lib.  
5. cap. 60.*



nio ipso lapide natiuo, seu ex vena Minij.

Mercurius in officinis, si liquidus sit, crudus: si mortificatus sit, sublimatus & concrematus dicitur.

Metallarium duo sunt genera, alterum metallorum proprie sic dictorum, alterum in lapidibus & salibus existit.

Metalla vel puriora sunt, vel impuriora.

Puriora, sunt Aurum, Argentum.

Aurum (chymistis Sol) est metallum ex purissimo subtilissimoque rubeo Sulphure, & ex Mercurio puriore rubeo non adurente factum. Hoc ferè solum metallum natura tãquam filium dilectum gignere sibi proponit (tedit enim ad perfectionem) verum ob diuersa accidentia superuenientia sæpius impeditur. Unde diuersas species metallorum producit.

Reperitur aurum natiuum in Montibus Arabicis, in fodinis, in puteis, in fluminibus, item in capitibus piscium, quos Trutas, Germanicè *Forellen*, vocant, vt Fritzlarix in Odera fluuio.

Argentum (Lunæ tribuitur) est metallum ex puro albo Mercurio & Sulphure claro albicante genitum.

E s

Hoc



*Encelius lib.  
I. de re Metal  
lica, cap. 5.*

Hoc in Venis nonnunquam tenuissi-  
mis bracteis lapides amplectitur, præ se  
ferens speciẽ capillorum, interdum vir-  
gularum sæpius etiam aliarum qualium  
cunq; rerum. Sic sæpè integer piscis, ser-  
pēs, scorpio, &c. ex puro tali argēto for-  
matus, in visceribus terrę cōspectus fuit.

*De quib. Pli-  
nius lib 33. et  
34. Item,  
Agricola in  
dialogo de  
Metallis.*

Impuriora quodāmodo Metalla sunt,  
Æs, Orichalcum, Ferrum, Stannum,  
Plumbum.

Æs quod & cuprum nostris dicitur, est  
metallum liuidum fuscæ rubedinis è  
Mercurio paululum impuriore & sul-  
phure crasso rubeo genitum, purum in  
ærarijs Metallicis & Argentareis reperi-  
tur. Excoquitur enim & artificiale aliud  
ex pyrite seu Marchasita, Item aliis spe-  
ciebus, ut ex lapide fissili, quem Ger-  
mani *Schifferstein* vocant, item ex non-  
nullis terræ generibus.

*De quibus  
Medici & rei  
Metallicæ  
scriptores.*

Æs in fodinis suis, est causa natiuarum  
illarum specierum Vitrioli, Chalcitis,  
Misy Sori, Diphrygis, &c. Si excoquitur  
fit Chadmia natiua cū speciebus 2. Pō-  
pholyx 3. Spodium. Si vritur, fit æs vstū.  
Si extinguitur, fit flos æris. Si excuditur,  
squa-



sqvama æris nascitur. In excocti iam superficie fit ærugo rasilis.

Orichalcum, est æs artificiosum, cuprū scilicet colatum. Metallum enim hoc nostris temporibus factitium solummodo videre licet: cūm olim esset natium fuerit species scilicet æris, hoc ipso tamē multo nobilius quod Plinij quoque tempore iamdum desierat.

Ferrum (Marti tribuitur) est metallum ex Mercurio immodico & impuro cum Sulphure spissiore impuro & adurente mixto genitum.

Natium hoc reperitur in fodinis, veluti grana, seu veluti massa. Aliud quod conflatum dicitur, excoquitur in officinis ferreis scilicet ex lapidibus ferreis, vel ex terra rubra ferrugine quasi lesa.

Ferri fodinę, ut antiquissime omnium, sic in Germania quoque primę fuerunt. De qua Tacitus.

Stannum (Iouis) est metallum album terreatate pauca participans, ex argento viuo albo in superficie, & rubeo intrinsecus, sulphureq; non benè mixto. Stannum hoc alii plumbi nigri liquore definiunt, qui scilicet primū ex fornacib. fluit.

Plumbum (Saturno tribuitur) est metallum liuidum parua participans albedine



dine è Mercurio admodū impuro, crasso, fœculentoq; & sulphure impuro, genitum.

Et hoc nigrum dicitur. Est enim & candidum aliud, quod sunt qui illud propriè asserūt esse, quod nostrates *Zihn* vocāt.

Sequitur alterum genus Metallarium in Lapidibus & Salibus.

Lapides ex humido, aquoso & terra vntuosa mixtis, generantur. Crassiores hi vel subtiliores aut nobiliores gignuntur, pro materiæ seu crassitie & viscositate seu subtilitate: illi propriè lapides, hi Gemmæ vocantur.

Gemmæ, vulgò notæ sunt Adamas, Hæmatites, Corallium, Crystallus.

Adamas, gemma lucida & durissima in auro & extra aurum reperitur. Adamantis veri Indici, qui magnitudine nuclei avellanæ fertur, rudimenta ad Albim fluvium non procul ab Ostio Tangræ inveniri scribunt. Duritia ejus inenarrabilis solo sanguine calido hirci, qui prius vinum bibit vel petroselinum comedit, rumpitur. Soluitur itē plumbo.

Hæmatites coloris est sanguinei, fossilis



silis est in fodinis. Reperitur etiam in Saxonia, Salfeldiæ, Ienæ. Item in Hassia, æquè ac in Ægypto & Lybia.

*Vide Serapionē Dioscorid.*

Corallium, ex humidaviscofitate terre plenius indurata generatur. Et hoc plerunque triplici forma reperitur.

*Ouidio definitur frutex marinus 4. item 15. Met.*

Crystallus, est succus frigore intra terram densatus. Effoditur ex Marmorum Saxorumq; canalibus: reperiturq; in venis tam Metallicis quàm proprijs. Multis sanè in regionibus. Insigniter clara & perspicua visitur, quia constat ex succo purissimo. Sic autem dicitur ob similitudinem, quam obtinet, glaciei.

His annumeramus & Gemmarum nomine dignamur, lapillos pretiosos in animalibus repertos, ut sunt lapis Chelidonium, Alectorius, Gēma Rubetarū, oculi Cancrorum, Gemma Percæ piscis, lapis in faucibus Carpionis, & alij plures. Sequitur de Sale.

Sal, est corpus metallare ex succo pingui aqueo & terrestri commixtis, ac decoctis genitum. Effoditur vel ex fodinis, vel ex lacubus & fluminibus, diuersis autem speciebus & figuris.

Sex



Sex tamen potissimum genera hodie in officinis Pharmacopolarum habentur. Armoniacum scilicet, Petrosum (quod & Sal Nitri seu lucidum dicitur) Indicum Sal Boracis, Sal Gemmæ, Sal

*a Sunt qui factitium esse putent ex combustione herbæ Anthyllidis in fonta.*

*a* Alkali.

Factitium autem sal nostrum, vel marinum ex aquis marinis conficitur, vel ex muria fontium natiua.

Ad Salis genera refertur Alumē, quod est fallugo terræ & tanquam falsus terræ sudor, qui si plus à sulphure peruratur in argentum viuum trāsmutaretur.

*De his apud Dioscoridem.*

Bitumen præterea limus scilicet aquæ extractus lentissimus pici similis adeoq; quasi pix terrę. Et hæc de perfectè mixtis intra terram.

Perfectè mixtilia corpora extra terrā, vel Stirpes sunt, vel Animantia.

Stirpes, est corpus perfectè mixtum anima vegetante præditum.

Stirps omnis vel major est, vel minor. Major Stirps est arbor.

Arbor, est stirps à radice caudice simplici ramosa, furculosaque assurgens, ut Pyrus, Laurus, Lentiscus, Cedrus, &c.

Arbo.



Arbores si non iustam magnitudinem assequantur frutices vel arbuta dicuntur: quamvis ex illis quedam caudice etiam multiplici à radice assurgant.

Planta minor est omnis herba.

Herba est, quæ à radice prouenit foliata, semen caule ferens ut Abrotanum, Cerefolium Maluæ & mille aliæ.

Hæc si compluribus ramulis & furculis quasi ligneis scatens magis in altitudinem crescat, suffrutex appellatur.

Plantarum differentiæ variæ à variis accidentibus item locis & formis multiplicibus desumuntur.

Animantia sunt corpora perfectè mixta, præter vitã anima sentiente prædita.

Animantium omnium communis materia est semen vtriusque sexus.

Semen est sanguis purissimus in testibus perfectissimè excoctus. Materia hujus est à toto corpore.

Testes enim alimonia destituti per vasa seminaria sanguinem attrahunt ex vena caua: hæc rursus ex reliquis majoribus, illæ ex alijs exugunt. Attractum deinceps illum sanguinem, si per temporis aliquod



aliquod interuallum in ijs moretur, exactè concoquunt, ut inde nutriantur, reliquias verò molestantes excernunt.

Fit autem semen albicans, ob substantiam testium albicantem.

Ex hoc semine utroq; in utero, seu matrice commixto & concepto, animantia uniuersa procreantur.

Conceptio, est actio uteri, qua feminis potestas exuscitatur ad insitum munus obeundum & exequendum.

Suscitata proinde vis illa, feminis materiam variè distrahit, partes eius diuersas secernens. Et sic partes æquè omnes conformationis suæ adumbrationem & rudimentum nanciscuntur.

Partes autem animantium omnes vel liquidæ sunt, vel solidæ. Liquidæ sunt humores.

Humores, sunt partes ex prima alimentorum in Epate transmutatorum commixtione ut corpori prodesse genitæ.

Sunt autem vel primarij vel secundarij.

Primarij sunt Sanguis, Pituita, Cholera, Melancholia. Hi quod semini omnes insint, sanguine præditorum animalium

ele-



PHYSICA.

Si

elementa vulgò nuncupantur. Singuli  
verò si à propria natura desciscētes cor-  
pori minus sint vtilēs, dicuntur præter-  
naturales.

Sanguis, est humor substantia medio-  
cris, colore ruber, sapore dulcis. Vtilis  
hic maximè existit ad partium aliarum  
nutritionem.

Sæpè autem vel serosior vel crassior e-  
uadit, vel alterius cuiuspiam vitiosæ sub-  
stantiæ contagione permiscetur, aliisq;  
qualitatib. afficitur: sæpè etiã putrescit.

Pituita, est humor lentus ac viscidus,  
colore albicans, saporis ferè expers. Est-  
que propemodum sanguis non plenè  
coctus, artus omnes humectans.

Hæc à natura deflectens vel acida fit,  
vel falsa.

Cholera, est humor substantiæ tenuio-  
ris, colore pallidus seu flavus, sapore a-  
marus.

Hujus vsus est expultricem facultatem  
præcipuè intestinorum promouere.

Præternaturalis autè bilis pro majore  
aut varia adustione in Epate vitellina, in  
ventriculo porracea aut æruginosa effi-  
citur.

F

Me-



Melancholia (fæx sanguinis) est humor crassus, terreus ac nigricans vel liuidus, sapore acidus seu acerbus.

Confert hæc ut ventriculum contrahat, firmet ac roboret, quò faciliùs ille cibos comprehendere & retinere possit: humor autem ille pro vstione immodica vel incineratione varias etiam sortitur species.

Secundarij humores dicuntur, qui ex primis multiplici coctione elaboratis geniti in similaribus potissimùm partibus continentur.

Quales sunt, ros, gluten siue cambium.

Solidæ partes corporis animantium vel similes sunt, vel dissimiles.

*Galenum vide I. Meth. 6. 8. de placitis. Aristot. lib. I. animal. I.*

Similes, sunt quæ sibi vndique similes existētes vnā omnino substātiā sunt adeptæ. Hæ sunt Venæ, Arteriæ, Nervus, Membranæ, Caro, Ligamenta, Cartilago, Ossa, Cutis.

Venæ, sunt vasa cōcaua tenuis essentiæ, ex Epate originem trahentia: quæ omnes exceptis venis in medio temporum & aurium existentibus sanguinem velut alimentum in uniuersum corpus deducunt.

Arte-



Arteriæ crassiores ferè sextuplo, spiritum omnem cum paucò flaviore sanguine continent.

Nerui vel molliores sunt & tenuiores, vel duriores.

Molliores septem conjugationibus à cerebro orti sensuum instrumenta sunt.

Duriores à spinali medulla potiùs incipientes motuum organa existunt.

Membranæ partes teneræ & firmæ reliquas contegunt. Caro ex muscularis & fibris constans, ossa tegit.

Ligamēta eiusdem ferè essentiæ, cuius & nerui sunt, sed paulò durioris, ossa firmiùs connectunt. Cartilago durior, ossibus tamen est mollior.

Ossa partes durissimæ suo robore universum corpus sustinent.

Cutis pars tenera, qua universi corporis aliæ partes teguntur.

Dissimiles partes, sunt quæ è similibus cōpositæ diuersæ sunt essentiæ, quales sunt præter dictas reliquæ universæ.

Harum singulariū situs, positus & structura, nominaque hoc ordine animadvertenda sunt.



Caput, sub cuius pericranio certis (ut in plurimum 5.) futuris distincto cerebrum situm est, duabus meningibus, dura & pia matribus contactum.

Capiti collum subjacet, cuius anterior pars dicitur guttur, asperam arteriam spiritus canalem, & gulam alimentorum canalem complectens: posterior ceruix vocatur. In colli extremitate humeri existunt, à quibus brachia dependent.

Sub gutture pectus est 12 costis utrinque constructum. Sub ceruice dorsum.

Intra pectus cor duos ventriculos obtinens è medio versus sinistram mamillam protenditur. Ad dextram pectoris Pulmones habentur, quibus adhæret aspera arteria à faucibus orta, cui Oesophagus adjacet, per diaphragma in Stomachum porrectus: quem excipit ventriculus sub septo transuerso collocatus.

Ventriculo adherent sex intestina, tria gracilia, superiora: & crassa totidem inferiora.

Infra pulmones deinde sub diaphragmate ad dextram Iecur officina sanguinis concernitur, ventriculo lobis suis incumbens.

Huic



Huic ex aduerso in sinistra, paulò tamen inferiùs, Lien humoris Melancholici receptaculum, collocatus est.

Hinc circa lumbos vtriusq; lateris Renes apparent, in quos desinunt venæ emulgentes à vena caua ortæ.

Ex renibus deorsum propendent vretes (venæ albæ) per quos serofus humor in Vesicam demittitur.

Sub renibus ex vena caua ortum habent vasa spermatica in ipsos testiculos inserta.

A tergo vsq; ad extremum os (sacrum dicitur) Spina descendit 24 vertebris constans in quibus medulla continetur.

Ossi sacro vtrinq; coxæ adjunctæ sunt. Infra coxas fœmora situm habent. Post illa genua sunt. Sub quibus crura, & ultimò pedes existunt. Tantum de communi animantium natura eorumq; partibus.

Animans proinde omne vel ratione & mente præditum est, vel ea caret.

Animantia ratione destituta, sunt universa præter hominē: quæ omnia prona terram spectāt, excepto pisce *ὄψις* *ὄψις* *ὄψις*, qui perpetuò cœlū vel inuitus adspicere cogitur.

F 3

Sunt



Sunt autem vel Terrestria, vel Aquea.

Terrestria vel in ipsa terra vitam degunt, vt quadrupeda, & quæ his adduntur reptilia: vel altiùs supra terram, ut volucrum genera & insecta aligera.

Quadrupedia discernuntur ratione generationis. Alia siquidem viuipara sunt, alia ouipara.

Ex ijs quæ viuum animal pariunt, alia solidis pedibus constant, ut quæ cornibus carent: alia disiectis, hæcque vel bifulca sunt sicuti cornuta, ut bos, cervus, caper: vel multifida.

Ouipara, sunt Testudines, Ranæ, Crocodili, Lacertæ, & Serpentes quatuor præditi pedibus.

Reptilia omnis generis vermes sunt, quibus addi possunt, Aranei, Cimices, Pediculi, Pulices & alia.

Volucres aëreæ naturæ existentes, binos eosque multifidos pedes habent, veluti aues omnes, ut Grues, Ciconiæ, Accipiter, Hirundines, Columbæ. Terrestribus animantibus calidiores ac fictiores sunt.

Diffe-



Differentiæ horum animalium enumerantur, pro ratione locorum in quibus degunt, & pro eo quod aliæ carnis, aliæ frugibus, aliæ vermibus vescantur. Oua tantum pariunt omnes aues.

Aquea animantia pisces sunt, & alia quæ ipsis adijciuntur, ut catus, item canis marinus.

Pisces terrestribus animalibus (quantum ad partes) in plerisque similes, sanguinis tamen minorem copiam habent: unde frigidiores etiam sunt & humidiores. Quamvis ex his etiam prorsus exangues sint. Et hæc de animante irrationali, sequitur de rationali.

Animans ratione præditum est solus homo: qui ut animalium omnium sicut & reliquarum creaturarum existit nobilissimus: ita elegantiolem præ illis structuram corporis fortitus est.

Hominis principium præter commune illud semen, est sanguis in mulieribus menstruus.

Sanguis menstruus, qui dicitur, est sanguinis impurioris superfluitas.

F 4

Hic

*Plinius horum  
tres species Al-  
bertus 2. fa-  
cit. Aristoteles  
in initio lib.  
4. de hist. ani-  
mal. 4. gene-  
ra recenset.*



Hic in mulieribus potissimum abundat, quia illæ ob desiderium vitam coaccruunt superfluos humores: ob quos ne mulieres nimium periclitarentur, natura illos voluit singulis mensibus euacuari. Unde menses & menstruus sanguis.

Principia autem illa in matrice ad actum exuscitata esse, mulieres inde colligunt, si quædam in ipsa motio sentiatur, quæ quasi conuellat & paulatim in se uterum contrahat ad concipiendum. Item si matricis orificium arctissime claudatur.

Partium porro corporis ex illis procreandarum rudimentum septimo die perspicitur tradunt, vel plenius 15. Hinc inchoata principia propria exornantur figura, & membranæ simul foetum obvoluentes robur nanciscuntur.

Mox reliqua membra formantur, & distincta plenius apparere circa diem 26 incipiunt: perfecte tamen omnia in maribus 3. In foeminis 36. Circa hosce dies foetus primum viuere & sentire incipit. Mouetur demum mas quidem 3, foemella 4 mense.

Nutritur quoque & increscit usque ad  
men-



menssem 9. in quo lucem ortumq; accipere solet.

Tum enim grandior factus, ideoq; copiosiore egēs alimento & spiritu, inuertendo sese, & calcitrando acetabula membranasq; rumpit, nihilq; amplius hērens editur: vteri scilicet fundo ad os iam satis apertum sese contrahente fœtumq; partibus vicinis suppetias ferentibus, foras propellente. Et hæc est hominis conceptio, conformatio, & procreatio. Tantum de rebus corporeis.

Res naturalis incorporea, est substantia, quæ sola quadam forma cōstat. Qualis est spiritus omnis seu genius, qualis est anima seu mens.

Anima, est substantia incorporea, functiones in corporibus exercens.

Animæ tres sunt potentia, Vegetans, Sentiens & Rationalis.

Vegetans, est potentia animæ, vitam corporibus præstans.

Hæc propositam sibi habet corporis cui inest propagationem.

Effectus ei attribuuntur, Generatio, Nutritio, & Auctio.

F 5 Ge-



Generatio, est effectus potentia vegetantis, quo corpus organicum sibi simile in specie procreare valet.

Objectum ejus alimentum subtilius & purius, quod in semen prolificum mutari potest.

Ministræ hujus virtutes tres sunt. Seminatiua, qua alimentum mutatur in semen. Immutatiua, qua semen in partes corporis generandi mutari incipit. Plasmatiua, qua semen mutatur in germen seu Embryonem.

*Gal. 3. de nat. facult.*

Nutritio, est alimenti nutriētis ad corpus nutriendum assimilatio.

Materia nutritionis, est alimentum omne: ad quod referuntur & reliquæ res Medicis non naturales dictæ, Aër, Somnus & Vigiliæ, Motus ac quies, Evacuatio & animi affectus. Nam & his corpora nutriuntur & sustentantur.

*Non successione continui, ut Erasistratus voluit, ad id quod vaenatur.*

Ad hanc melius perficiendam vegetans potentia opus habet ministris & adjutricibus virtutibus: quales sunt Attractio, Retentio, Digestio, Expulsio.

Attractio, est virtus quæ suppeditat corpori conuenientis alimenti materiam.



riam. Sic plantæ rigationem attrahunt. Sic singula corpora conuenientem sibi succum attrahunt propria & occulta quadam virtute, qua & Magnes ferrum attrahit.

Retentio, est virtus quæ attractum alimentum in particulis retinet donec nutriantur.

Requiritur enim, ut attractus à particula succus si illam sit nutriturus, minime transferatur ad alias, sed in ea aliquandiu quiescat.

Dum autem ita retinetur nutrimentum, primum ad jungitur, & hæc appositio dicitur: deinde vnitur, & conglutinatio hæc dicitur.

Vis illa in maximis atque cauis instrumentis conspicua admodum cernitur, in paruis est obscurior.

Concoctio, est qua alimentum subigitur & alteratur.

Concoctio autem quæ in vegetabilibus fit, vel à mediocri calore fit & dicitur Maturatio, vel ab auctiore, & hæc vel Elixatio est vel Assatio.

Matu-



Maturatio, est coctio alimenti in humido. Quæ si non ritè perficiatur ob caloris natiui debilitatem, cruditas dicitur.

Elixatio, est concoctio humidū aquosum vel crassum calore humido fortiori subtiliùs elaborans.

Imperfecta hæc, dicitur flacciditas vel inquinatio, alimento scilicet non subtiliscente.

Affatio, est coctio mediante calido sicciori humidum in corpore extinguens, ac pleniùs id consolidans. Qualis est ferè affatio carniū à calore igneo facta.

Sileniter tantummodo alimentum indurari cœperit, condensatio dicitur.

Affationi subijciuntur coagulatio & congelatio.

Coagulatio, est partium siccarum cum humore fortior conglutinatio. Sic lapides in terra procreantur. Sic sal ex aqua segregatur.

Congelatio, est partium fluidarum plenior induratio atque compressio.

Coctio autem in animante tam rationali quàm irrationali, triplicem habet ordinem. Primò siquidem alimentum  
masti-



masticatum in ore: secūdò masticatum  
ita in chylū mutatur in stomacho. Ter-  
tiò mutatur in Chymum, & quidem in  
Epate.

Cōcoctio quælibet si vitiosa sit vel de-  
struatur planè, putredo oritur.

Est autem putrefactio, alimenti conco-  
quēdi corruptio ab externo calore orta.

Putrescunt faciliùs calida & humida,  
maximè si corpora non sint transpirabi-  
lia. Sic in Italia citiùs frumentum putre-  
scit, ob aërem calidorum ac humidorū  
halituum plenum. Sic poma citiùs pu-  
trescunt in cellulis subterraneis, in aëre  
scilicet calido ac humido.

Expulsio, est virtus qua particulæ ut  
nutrimento conueniente concocto me-  
lius fruantur, superuacanea & redun-  
dantia expellunt.

Illa enim si diutius retinerentur putre-  
scerent, & continentibus partibus pla-  
nè infesta redderentur.

Fit autem excretio ejusmodi, vel intra  
corpus ex vna parte ad aliam: vel extra  
corpus.

In corpore semper fortiores particulæ  
aliena



3. de facult.  
naturalib.

13. Meth. 5.

6. de sanit.  
tuend.

2. de diff. feb.  
10.

aliena protrudunt ad imbecilliores, donec ad imbecillimas deuentum sit.

E corpore varij sunt superfluatorum euacuationis modi, ut sudor, vrina, egestio, vomitus, excreatio, sternutatio, lachrymæ, aurium fordes.

Auctio, est corporis procreati in omnem dimensionem ampliatio.

Hæc altricem virtutem ad certum temporis interuallum à natura præstitutum insequitur, scilicet ad vigorem vsque. Nutriuntur quidem corpora, sed non augmentantur per omne vitæ curriculum. Vnde augmentatio sanè omnis est nutritio, sed non e contra.

Post vigorem autem ætatis si quempiam crassescere cõtingat & impinguari: huc non augeri, sed pinguem & obesum fieri dicimus. Nam plurimum differt pinguefactio ab augmentatione. Illa siquidem tantum humiditas quædam superflua carni additur.

Has operationes omnes quandiu vegetatrix anima caloris beneficio natiuitate præstat. i. quandiu corpus caloris natiui particeps effectum alitur & nutritur:

tan-



tandiu viuere & esse potest: pereunte autem calore & humido radicali vita quoque interit.

Vita itaque est nihil aliud quàm vegetatricis animæ in corporibus permāsiō, seu humidi radicalis conseruatio.

Quod hæc in alijs hominibus breuior sit vel longior: fit quòd illi plus vel minus de humido radicali vel calore participant.

Mors ecōtra est humidi radicalis marcor vel consumptio.

Hanc faciliùs euitare possunt sanguinei & phlegmatici.

Extinguitur autem humidum illud facile, acquisiti nutrimenti impuritate, perpetuo substantiæ fluore & decursu, consummata siccitate: adjuvantibus simul causis externis, ut intemperantia, inedia & aliis. Et hæc de anima vegetante.

Sentiens animæ facultas est, qua ipsa mediante sensu aliquo apprehendit ac percipit ea quæ extrinsecus posita sunt vel præsentia, vel absentia.

Exercet autem hanc operationem vel sensibus exterioribus vel interioribus.

Exte-



Exteriores sensus sunt, qui sensibilia presentia tantum extrinsecus percipiunt.

Numerantur autem quinque: Visus, Auditus, Gustus, Olfactus, Tactus.

Qui singuli subjectum proprium, sicut & instrumentum, & quidam medium aliquod requirunt: & horum omnium mutua quaedam ac iusta consensio & proportio requiritur.

Sensus enim singuli objecto nimis excellenti hebetantur ac corrumpuntur: sicut milites olim Xenophontis per multam niuem iter facientes oculis omnes laesi fuerunt: sic plerunque fabri ferrarii fiunt surdastri.

Visus, est sensus res lucidas & coloratas oculis percipiens.

Sub lucidis intellige cum luminosa corpora quae in tenebris lucent, easque discutunt, tum perspicua & transparentia, quae *διαφανή* dicuntur.

Subjectum visus est lux & color.

Organon, oculus: vel potius qui ad oculum utrumque extenditur nervus opticus. Medium, perspicuum, & lucidum corpus.

Audi-



Auditus, est sensus sonos auribus percipiens.

Medium hujus aër est, per quem sonus ad aures facta circuitione quadam veluti per gyros defertur.

Organon, est pellicula in imo aurium anfractu porosa & sicca, quæ Tympanū auris dicitur.

Sensus hic ut præcedente tardior paulò, sic reliquis acrior existit.

Gustus, est sensus exterior sapores omnis generis lingua apprehendens.

Subiectum gustus est sapor.

Instrumentum gustus est nervus, qui à cerebro descendens super carnem linguae porosam retis instar expansus est. *ff. Accidit*  
Vnde lingua prorsus arida sapores nullos percipit.

Olfactus, est sensus exterior omnes odorabiles qualitates narib. percipiens.

Subiectum olfactus est odorabilis qualitas.

Organum hujus est meatus anterioris ventriculi cerebri membrana contactus.

Mediū hujus idem est, quod auditus.

G Obser-



Obserua quo quodq; animal ficcius habet cerebrum, eò acrius etiam odorari posse, ut canes.

Quamvis autem homo propter humiditatem cerebri odoratum hebetissimum fortitus sit, plurimum tamen ad eius sanitatem hic sensus confert.

Tactus, est sensus exterior tactiles qualitates apprehendens.

Subiectum tactus est tactilis qualitas.

Instrumenta sunt nervi multiplices per totum corpus quasi capillatim sub cute & carne dispersi: vel omnis caro nervosa.

Si autem sint quædam animalia quæ nervis destituantur, in his aliud intellige esse organon istis nervis æquipollens.

Medium huic attribuitur caro vel cutis. Quamvis nullum ferè externū mediū hîc requiri videatur: quoniã ipsum nervum etiam in interiore sui parte læsum gravissimos excitare cruciatus constat.

Homo cùm in reliquis sensibus à multis animalibus longè superetur, hunc solum obtinet acutissimum.

Et



Et hæc de sensibus exterioribus.

Sensus interiores sunt, qui vel in præfenti à sensibus externis oblatas, vel absentes rerum sensibilibum species plures & diversas cognoscunt.

Et hi sunt quibus non tantùm sentit seu percipit animal sensibilia objecta, sed etiam se percipere sentit.

Fit autem cognitio illa & sensationis animadversio objectorum dijudicatione, & similium conceptuum qualicunque ratiocinatione, & conservatione.

Vnde tres recensentur rectè sensus interiores, sensus communis, phantasia, & memoria: quibus omnib. in cerebro duntaxat organon natura destinavit.

Sensus communis est, qui sensibilia à sensibus exterioribus percepta colligit, discernit, & phantasiæ offert.

Hujus sedes est in anteriore cerebri ventriculo, cùm is ob humiditatem ad recipiendum sit aptior.

Phantasia, est sensus interior, qui rerum sensibilibum præsentium vel absentium imagines à sensu communi perceptas diligentius examinat atque expen-



dit & his similes conceptus eliciendo tãquam ratiocinatur ac judicat.

Locus hujus, est in media cerebri parte quæ sicciior existit, unde ad conservandum est idonea.

Ab hoc sensu depēdet omnis animalium cogitatio, judicium, æstimatio & ratio illa ἐν δὲ δέροντος intus delitescēs, quam Galenus brutis attribuit.

*Aristoteles li. 8. de hist. animal. Valla li. 1. Dial. ca. 9.*

Est enim hic sensus in brutis loco rationis.

Memoria, est sensus interior rerum comprehensarum imagines conservās.

Hæc in posteriore cerebri ventriculo sedem obtinens omnibus animalibus inest, quæ quidem temporis sensum habent.

Est tamen præcipuè in homine acrior vel hebetior pro cerebri constitutione. Nam quibus humidum est cerebrum, ij debiliore, quibus siccum firmiore memoria pollent.

Intellige cùm memoria ad animam sentientem propriè spectet, separatas à corpore animas non meminisse.

Memoria si ex præterito tēpore con-

ser-



servatas imagines promptè revocet ac repetat, recordatio dicitur.

Differunt enim illa. Vnde qui ingenio stupidi & tardi sunt, memoria: qui ingeniosi & dociles, recordatione magis valent.

Sed cum hæc absque adhibita rationis inductione, quæ exciderunt recollere non possit, soli homini tribuitur.

Advertendum præterea de sentiente animæ facultate, illam, præsertim quod ad internos sensus attinet, in perpetuo esse motu.

Externos autem ab actione sua aliquando desistere maximè in somno: in hoc enim sensus quiescunt, non omnimodè cessant.

Somnus itaque est sentientis facultatis quasi vinculū, sive immobilitas quædam & quies.

Causa hujus vel refrigeratio cerebri est, vel vapor copiosus suavisq; è ventriculo exhalans, & cerebro offusus, illudq; obtundens.

Qui vapor si concoctus resolvitur & in spiritus convertitur, redeunte scilicet

G 3 calore,



calore, sensus suo munere rursus funguntur, & animal evigilat.

Ordinata autem & certa somni vigiliarumque intervalla sunt, ne cerebrum assidua intentione & cor affectuum motibus arefieret & languesceret: ne per motum & sensus spiritus animales dissipentur, & ut calor naturalis colligatur: quod maximè fieri potest corpore quiescente.

Sentienti insuper animæ appetens & loco movens facultates subijciuntur. Cognitionem nempe à sensibus proveniente comitatur appetitus, eos deinceps locomotiva.

Appetens animæ sentientis facultas, est virtus prosequens aut fugiens objecta sensibus deprehensa.

Est autem vel omnium animantium communis, vel rationalis propria: illa sensitiva dicitur: hæc voluntaria.

Sensitivus appetitus à solis sensibus ortus vel tactum solū sequitur, vel cogitationem simul.

Tactum sequuntur delectatio & dolor.

Cogi-



Cogitationem motus cordis, quales sunt omnes ejus affectus qui naturam vel juvant vel destruunt.

Voluntarij appetitus cum ratione cō-juncti hominum proprij sunt.

Locomotiva, est facultas animæ corpus ab impetu illectum de loco in locū movens.

Instrumenta hujus sunt nervi, quibus velut habenis præcedente notitia per spiritus animales & vitales chordæ ac muscoli moventur.

Tantum de anima sentiente, & alijs quæ huic subijciuntur facultatibus.

Anima rationalis, est substantia incorporea, immortalis, ad imaginem DEI condita.

Imago illa DEI in homine *μιμητική* participatione facta & in virtutibus tantum consistens, non naturalis existit, qualis imago DEI solus Christus est.

Anima autem illa in solo homine existens præstat simul officia vegetantis ac sentientis.

Non tamen unà cum corpore hominis nascitur, sed ut Adamo primū in spi-





rata fuit, sic adhuc hodie in singula hominum nascentium corpora extrinsecus à DEO infunditur.

Sedes hujus præcipua iuxta sacras literas in corde existit.

Rationis officia sunt intellectus seu mens, & voluntas.

Intellectus, est facultas animæ rationalis, qua tum singularia tum maximè universalia intelligit & ratiocinando dijudicat.

Hæc facultas insitis & innatis notionibus illustrata & adjuta omnia quæ in universo sunt percipit: actus simul habens reflexos, quibus actiones suas cernit, & erroneas emendare potest.

Hic vel faciens est, vel patiens, pro diversis officijs: cùm alioquin idem sit intellectus.

Faciens, est qui objecta expendit, dijudicat, & ratiocinatione alia ex alijs invenit.

Patiens intellectus est, qui inventa ab illo agnoscit, intelligit ac ceu dictata amplectitur ac retinet.

Ille doctori, hic discipulo addiscenti  
haud



haud malè confertur.

Voluntas, est facultas animæ rationalis quæ liberè aliquid eligit.

Subjectum hujus est quicquid ab homine fieri potest: cùm frustrà expetamus quæ habere non possumus.

Obserua voluntarium non ab eventu dici, sed à libero agendi principio. Et hæc de anima: sequitur de genijs seu spiritibus.

Spiritus seu genij sunt essentiæ incorporeæ, intelligentes immortalitatisque participes.

Vt maximè autem invisibiles sint, nemo tamen illos revera esse dubitaverit ex operibus suis & effectis conspicuos, cùm nemo si dæmonia sint, dæmones quoque existere inficietur.

Spiritus autem omnes vel boni sunt vel mali.

Boni sunt, qui in naturali sua dignitate persistentes muneribus & mysterijs divinis exequendis destinati sunt. Vnde ἀγγελοι seu legati ex officio dicuntur.

Et hi rarissimè difficillimeque alia assumpta figura comparuerunt, & non ni-



si summi DEI iussa capefferent, ad divinorum sensuum lucem aperiendam.

Res humanas autem illi ceu internūcij administrantes non tantum gentibus & provincijs totis, sed etiam singulis pijs hominibus addicti custodes præfunt, adeoq; prudentiæ mirabilis participes omnes hominum cogitationes cognoscunt.

Ex quo officiorum genere, qui regionibus administrandis præfunt, dij patrij & penates, Latinis dicti fuerunt: qui ædes hominum quietè possident lares, vel si terrorem illis incutiant Larvæ: qui hominibus singulis custodes assistunt, genij communiter vocantur.

Mali spiritus sunt, qui à priore & divina, quam adepti fuerant, natura desciscetes, proterva cogitatione & dementi concupiscentia, omnis mali authores facti sunt.

Vnde è patria proprijsq; sedibus deturbati orbem universum occuparunt, subdolè & versutè hominem quemlibet ad decipiendum circumeunt.

Et hi sæpissimè phantastica & fallaci specie



specie assumpta dæmonum vel angelorum bonorum præsentiam simulantes plurima curiosis hominibus mentiuntur: interim tamen, ne fucus deprehendatur, cultores suos ad omnia virtutum genera adhortantes.

Quamvis autem suapte sponte & libentissimè ipsimet venire optent, cogi tamen sese, & vel superstitiosis ritibus & sacrificijs, vel fictis nominibus divinis accersiri patiuntur, ut eò felicius quovis præstigijs suis irretire possint.

Et tantum de rebus naturalibus incorporatis.

DEVS Opt. Max. rerum illarum omnium autor & creator, nos spiritu suo gubernet ac regat, ut indies cognitio earūdem major & perfectior in nobis reddatur augeaturque, in nominis sui laudem & gloriam propter filium suum Christum Iesum per quem omnia fecit & creavit. Amen.

F I N I S.



Errata sic corrigat benignus  
Lector.

Pag. 9. linea 18. in firmiorem. pag. 10. l. 11. fore.  
pag. 14. l. 4. Aegypto tamen pet. p. 17. l. 30. Democritus. pa. 21. l. 5. cognitione oblectantur. ibid. l. 13. extiterunt. § 27. habuit, p. 24. l. 28. σωακόλητα, § l. 31. καθ' αὐτό. § ibid. ut nempe. § p. 25. l. 8. καθόλη, § l. 10. ἀντίστροφον. p. 28. l. 25. garrire, p. 32. l. 24. Academicus, p. 40. l. 8. pro imaginarij, lege, intelligibiles: sic etiam fac lin. 12. p. 45. l. 10. patiens, difficulter term. p. 53. l. 13. Centaurus, pag. 54. l. 18. dicta, p. 55. l. 8. tamen alb. p. 58. l. 11. § discus. ib. l. 13. tegere. pa. 61. l. 15. dele, § p. 62. l. 20. accidentariis, p. 71. l. 12. superillata terra, pa. 74. l. 15. argenteis, pag. 78. in margine, in fovea. ibid. l. 20. Stirps, p. 84. l. 1. ut plurimum, pa. 93. l. 1. masticatur.



FRANCOFORTI,  
*Excudebat Andreas Wechelus*  
ANNO, M. D. LXXVII.
























Ce 16

(X220 2910)


TA 701

W.C.









*Rerum Physicarum,*  
**IVXTA LEGES**  
LOGICAS METHO-  
DICA EXPLICA-  
TIO.

**Gulielmi Adolphi**  
SCRIBONII MARPVR-  
GENSIS.



FRANCOFVRTI  
Apud Andream Wechelum.  
M. D. LXXVII.

b 2.

